PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

TOM. XLV / FASC. I
15 Martii 1956

ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1956


FASCICULI
INDEX ANALYTICUS

PERIODICA
DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

TOM. XLV / FASC. I
15 Martii 1956



ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1956

IMPRIMI POTEST

Romae, die 3 martii 1956

P. Petrus M. Abellán, S. I.
Rector Universitatis

IMPRIMATUR

Ex Vicariatu Urbis, die 30 martii 1956

† A. Traglia
Archiep. Caesarien. Vic. Ger.

TYPIS PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE - ROMAE

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

NOTAE QUAEDAM AD PRIVILEGIUM PETRINUM

1. Privilegium Petrinum exhibet unum ex modis dissolutionis vinculi, de qua agitur in can. 1118-1127. Sequentes NOTAE respiciunt quaestionem, an et quid in ipsis his canonibus habeatur de facto, de modo, de usu huius privilegii.

Canon 1118 est de dissolutione matrimonii rati et (ut rati) consummati, (cf. can. 1015 § 1):

Can. 1118. « Matrimonium validum ratum et consummatum nulla humana potestate nullaque causa, praeterquam morte, dissolvi potest ».

Canon 1119 est de dissolutione matrimonii non-consummati, sive rati (sacramentalis) sive naturalis tantum:

Can. 1119. « Matrimonium non consummatum inter baptizatos vel inter partem baptizatam et partem non baptizatam, dissolvitur tum ipso iure per sollemnem professionem religiosam, tum per dispensationem a Sede Apostolica ex iusta causa concessam, utraque parte rogante vel alterutra, etsi altera sit invita ».

Canones 1120-1127 sunt de matrimonio inito inter non baptizatos. Speciali attentione, quod at-

tinet ad eorum relationem cum Privilegio Petrino, digni sunt canones: 1120, 1124, 1126, 1127.

Can. 1120. § 1. « Legitimum inter non baptizatos matrimonium, licet consummatum, solvitur in favorem fidei ex privilegio Paulino.

§ 2. Hoc privilegium non obtinet in matrimonio inter partem baptizatam et partem non baptizatam inito cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus ».

Can. 1124. « Coniux fidelis, licet post susceptum baptismum denuo matrimonialiter cum parte infideli vixerit, ius tamen novas celebrandi nuptias cum persona catholica non amittit, ideoque potest hoc iure uti, si coniux infidelis, mutata voluntate, postea discedat sine iusta causa, vel iam non cohabitet pacifice sine contumelia Creatoris ».

Can. 1126. « Vinculum prioris coniugii, in infidelitate contracti, tunc tantum solvitur, cum pars fidelis reapse novas nuptias valide iniverit ».

Can. 1127. « In re dubia privilegium fidei gaudet favore iuris ».

2. *Privilegium Petrinum* respicit matrimonium (validum), ab initio initum inter unam partem baptizatam et alteram partem non baptizatam, et designat potestatem Summi Pontificis solvendi hoc vinculum per actum positivum dispensationis. Privilegium Petrinum simile quidem, sed non idem est atque Privilegium Paulinum.

Privilegium Paulinum (quod hoc loco solummodo consideratur, in quantum exhibet modum « solutionis vinculi ») respicit matrimonium, ab initio initum inter duas partes non baptizatas (« infideles »), et designat facultatem partis infidelis, per baptismum ad fidem conversae, solvendi, positis po-

nendis, prioris matrimonii vinculum per novas nuptias legitime initas.

Immediate et directe Privilegium Paulinum denotat facultatem ineundi novas nuptias; at, cum novo vinculo ineundo obstet vinculum prioris matrimonii, uno eodemque actu et novum vinculum nectitur et prius vinculum solvitur (cf. can. 1126); si novae nuptiae non ineuntur, Privilegium Paulinum effectum non habet. Ex altera parte non-usus facultatis transeundi ad novas nuptias, quae competit parti per baptisma ad fidem conversae, non tollit ipsum Privilegium Paulinum; etsi pars fidelis suum matrimonium cum infideli continuat, hoc pergit esse sub hoc privilegio. Nam continuatum hoc matrimonium: 1) ratione originis manet matrimonium ab initio inter duos infideles initum, 2) ratione internae suae naturae manet vinculum naturale; quo ergo « bonum fidei » per se nondum est ex toto in tuto positum. Propter eandem rationem Privilegium Paulinum exspirat, ubi primum altera quoque pars (infidelis) per baptismum ad fidem se convertit.

3. Antequam respondeatur ad quaestionem, sub quonam ex allegatis canonibus Privilegium Petrinum comprehendatur, in memoriam revocari debet: solubilitatem determinati matrimonii pendere principaliter a qualitate iuridica, quam habet momento quo solvitur, non momento quo initum est; (scil., utrum momento dissolutionis sit ratum aut non ratum, consummatum aut non consummatum); nihilominus in dictam quaestionem solvendam aliquoties intrat etiam qualitas iuridica quam matrimonium habuit momento celebrationis.

4. Privilegium Petrinum non comprehenditur canone 1118, qui est de *matrimonio rato et* (*ut rato*) *consummato*. Matrimonium enim naturale — (etsi

iam consummatum) —, quod postea per baptisma utriusque partis transit in « ratum », non ante novam consummationem cadit sub canone 1118.

5. Canon 1119 respicit solutionem matrimonii validi, non-consummati, cuius saltem una pars est baptizata, et ratione baptismatis potestati Ecclesiae subiectum. Statuit : huiusmodi matrimonium, non-consummatum, solvi « ex iure » per sollemnem professionem, praeterea per « actum positivum dispensationis » Sedis Apostolicae, ex iusta causa concessae. In hoc canone (quoad solutionem matrimonii non-consummati) in una linea ponitur vinculum matrimonii rati et vinculum matrimonii naturalis tantum (ob non-baptismum unius partis) ; item in una linea ponitur vinculum matrimonii naturalis, valide initi sive « *cum* » sive « *sine* » dispensatione a disparitate cultus ; tandem in una linea ponitur solutio matrimonii naturalis, concessa ex « quacumque proportionata causa iusta », et concessa ex speciali causa « favoris fidei », (cuius « favoris » in hoc canone non fit mentio).

Ex dictis elucet : matrimonium quod est specificum obiectum Privilegii Petrini, si non est consummatum, comprehendi canone 1119 ; et ita ipsum quoque Privilegium tangi et contineri hoc canone ; sed eum « excedere », quia ex una parte versatur circa huiusmodi matrimonium etiam consummatum ; et ex altera parte « infra eum manere », quia non ex quacumque causa iusta proportionata, sed solummodo in « favorem fidei » adhibendum dicitur. Ob utramque hanc rationem magis logicum esse videtur : ad Privilegium Petrinum non applicare canonem 1119 ; et viceversa Privilegium Petrinum

non inducere in hunc canonem ad restringenda eius verba « ex iusta causa concessam ». Inde intelligitur, cur quidam velint, ut non fiat sine addito sermo de privilegio Petrino, neve ad id provocetur, nisi in casibus validi matrimonii, initi inter partem baptizatam et partem non-baptizatam, atque *consummati*.

6. Canon 1120 agit de matrimonio inito inter duos non-baptizatos; et respicit ex aequo matrimonium non-consummatum et consummatum. Canon « consummatum » intellegit matrimonium, in quo « inter coniuges locum habuit coniugalis actus, ad quem natura sua ordinatur contractus matrimonialis, et quo coniuges fiunt una caro (Can. 1015 § 1). Criterium distinctivum, quo matrimonium huius canonis designatur, est defectus « baptismi » in utraque parte momento matrimonii initi, et baptismus uni parti postea superveniens; quo baptismate matrimonium desinit esse inter duos non baptizatos. Neque tamen inde *via solvendi vinculi*, de qua hic canon agit, occluditur (cf. can. 1124).

Si matrimonium ita modificatum continuatur per longius tempus et forte denuo consummatur, manet solubile via, hoc canone significata, (quia scl. initio initum fuerit inter duos non-baptizatos). Haec circumstantia censeri debet « condicio sine qua non » pro applicatione huius canonis; ideo, ea non adimpleta, matrimonium ex alio titulo forte solvi potest, non autem ad normam huius canonis.

Via solutionis, hoc canone significata, dicitur « *Privilegium Paulinum* », quod a st. Paulo ita memoratur: « εἰ δὲ ὁ ἄπιστος χωρίζεται, χωριζέσθω.

οὐ δεδούλωται ὁ ἀδελφὸς ἢ ἡ ἀδελφὴ ἐν τοῖς τοιούτοις» (1. Cor. VII, 15).

Non omnia, quae Privilegium Paulinum spectant, ex sola Scriptura disci et explicari possunt. Sed propter contextum et propter condiciones historicas apud Corinthios tunc temporis vigentes, hic textus intellegendus videtur exclusive de matrimonio, ab initio inito inter duos infideles. Urget enim Apostolus in contextu principium: «ἑκάστῳ ὡς ἐμέρισεν ὁ κύριος, ἕκαστον ὡς κέκληκεν ὁ Θεός, οὕτως περιπατείτω » (1. Cor. VII, 17); quod significat: excepto casu, in quo pars infidelis non vult manere cum altera parte, facta fideli.

7. Quibus omnibus attentis, apparet: Privilegium Petrinum, quod respicit matrimonium, ab initio initum inter unam partem baptizatam et alteram non baptizatam, non comprehendi Privilegio Paulino, (saltem prout describitur paragrapho prima huius canonis 1120; quidquid est de allegatis verbis Apostoli in epistula ad Corinthios). At sunt qui putent: Privilegium Petrinum respici et contineri in paragrapho secunda eiusdem canonis, quippe qua statuatur: Privilegium Paulinum invocari non posse ad dissolvendum matrimonium, ab initio initum inter unam partem baptizatam et alteram non-baptizatam; (supposito tamen, quod intercesserit Ecclesia, concedens dispensationem a disparitate cultus; quae dispensatio hodie non iam requiritur ad valide contrahendum inter partem non baptizatam et partem baptizatam, *non-catholicam*). Hoc textu manifestum fieri dicunt: Privilegium Paulinum solummodo ex positiva voluntate et prohibitione *Ecclesiae* non posse applicari ad

omne quoque matrimonium, cuius una pars sit non-baptizata. Quod si ipsis obiicitur: ad omnem usum Privilegii Paulini, etiam in casu supervenientis baptismatis, per se, saltem ex voluntate Ecclesiae requiri *interpellationes;* has autem numquam requiri ad usum Privilegii Petrini: respondent, « interpellationes » hodie ad validum usum requiri tantummodo ex voluntate positiva Ecclesiae, non ex iure divino; a qua sua voluntate urgenda Ecclesiam autem ad beneplacitum suum abstinere posse; quapropter ex non requisitis interpellationibus ad usum Privilegii Petrini non licere inferre: Privilegium Petrinum esse totaliter extra sphaeram Privilegii Paulini. — Quae responsio minime sufficit ad explicandum, cur Ecclesia in usu Privilegii Petrini *numquam,* in usu autem Privilegii Paulini *semper* urgeat interpellationes faciendas.

8. At, quis sit sensus § 2, et cur haec paragraphus sit posita, cum certitudine erui non potest nisi ex textibus et Documentis ad hanc paragraphum in ipso C J C allegatis et in FONTIBUS exhibitis, scl. ex S. C. S. Officii (Cochinchin.) d. d. 1 Augusti 1759, ad. 4; (Nankin) d. d. 5 Martii 1852; (Siam) d. d. 4 Iulii 1855; Instr. (ad Episc. S. Alberti) d. d. 9 Dec. 1874. — Documenta singula examinari debent.

9. Primum Documentum inscribitur in FONTIBUS « S. C. S. Off. (Cochinchin), 1 Aug. 1759 », et quinque proponit quaestiones, omnes de usu Privilegii Paulini. Licet immediate ad rem faciat solummodo quaestio quarta, nihilominus expedire videtur, attento pondere huius Responsi (quippe

quod subest Responsis aliis, ex quibus eius sensus magis clarus redditur) textum ex integro afferre.

« Saepe contingit ut ex duobus infidelibus, alter convertatur ad fidem, alter converti quidem tunc nolit, consentiat tamen cohabitare cum fideli sine contumelia Creatoris, et quin eum pertrahat ad mortale peccatum, imo promittat se quoque fidem postea amplexaturum, quod ob aliquam specialem rationem aliquandiu differre necessarium ducit. Quare fidelis infidelem non dimittit, sed cohabitare pergunt ut coniuges, idque ad longum tempus et aliquos etiam annos: at postea infidelis, mutata voluntate, non solum converti non vult, sed tentat fidelem pertrahere ad idolorum cultum, vel discedit, nec iam consentit habitare cum illo, imo ad alias nuptias ipse transit. Quaeritur:

1. An in hoc casu possit etiam fidelis derelictus discedere, et ad alias nuptias transire, habeatque hic locum privilegium ab Apostolo promulgatum: Si infidelis discedit, discedat.

2. An id solum habeat locum quando infidelis discedit odio fidei, an etiam quando discedit propter discordias, vel aliam causam a fide diversam.

3. An etiam possit fidelis transire ad alias nuptias quando infidelis quacumque de causa ab eo discessit, nec sciri potest vivat adhuc necne.

4. An fidelis, qui ex dispensatione valide contraxit matrimonium cum infideli, transire possit ad alias nuptias, si infidelis discedat, vel cohabitare nolit, vel eum pertrahat ad mortale peccatum.

5. An aliquo, et quanto tempore possit fidelis post conversionem cohabitare cum infideli, quin privetur potestate transeundi ad alias nuptias.

R. Ad 1. In casu de quo agitur, affirmative.

Ad 2. Cum militet ex parte coniugis conversi favor fidei, eo potest uti quacumque ex causa, dummodo iusta sit, nimirum si non dederit iustum ac rationabile motivum alteri coniugi discedendi, ita tamen ut tunc solum intelligatur solutum iugum vinculi matrimonialis cum in-

fideli, quando coniux conversus (renuente altero post interpellationem converti) transit ad alia vota cum fideli.

Ad 3. Praemittendam esse interpellationem qua intimetur coniugi infideli an velit converti, a qua interpellatione Apostolica Sedes iustis de causis dispensat.

Ad 4. Si fidelis, praevia dispensatione, contraxit matrimonium cum infideli, censetur illud contraxisse cum explicita conditione, dummodo nimirum infidelis secum cohabitare velit absque contumelia Creatoris: quare, si infidelis non servat supradictam conditionem, adhibenda sunt iuris remedia ad hoc ut eam servet: alias separari debent quoad torum et cohabitationem, non tamen quoad vinculum; quocirca in casu de quo agitur, coniuge infideli superstite, non potest fidelis ad alia vota transire.

Ad 5. Conversus ad fidem in ipso conversionis momento non intelligitur solutus a vinculo matrimonii cum infideli adhuc superstite contracti, sed tunc acquirit tantummodo ius transeundi ad alias nuptias, cum coniuge tamen fideli, idque si coniux infidelis renuat post interpellationem converti. Caeterum tunc solum coniugii vinculum dissolvitur, quando coniux conversus transit cum effectu ad alias nuptias. Si autem coniux conversus ante susceptionem Baptismi habeat plures uxores, et prima recusat amplecti fidem: tunc legitime potest quamlibet ex illis retinere dummodo fidelis fiat, sed in hoc casu contrahentes mutuum consensum coram parocho et testibus renovare debent ». (Fontes IV pg. 90-91, N. 810).

Excepta quarta, aliae quaestiones sunt de matrimoniis, ab initio initis inter duos infideles; in omnibus, nulla excepta, qui quaerunt scire volunt, num pars fidelis ad alias nuptias transire possit. Fuerunt qui putaverint, etiam ad 4. quaestionem responderi posse « *affirmative* »; hi censuerunt: coniugis iam ante matrimonium baptizati parem esse condicionem atque coniugis postea baptizatae, de qua in aliis quaestionibus. Ex historia huius Re-

sponsi coniecturandum videtur, varios eius textus, sibi contradicentes, circumlatos esse, eius scl. sensus: etiam parti, iam *ante* matrimonium cum infideli « *baptizato* », aut: non esse potestatem vi Privilegii Paulini transeundi ad novas nuptias. Supponi sane debet FONTES exhibere, Responsi dati textum genuinum et authenticum.

De cetero clarum vestigium discussionum tunc temporis factarum exhibet pars prima huius responsi ad 4. quaestionem. *Quaesierant* quidem, quaenam via pateret parti, iam ante matrimonium baptizatae, transeundi ad novas nuptias; *responderunt* autem, qua via procedi queat contra partem infidelem, ut constringeretur ad condicionem adimplendam; quae ante matrimonii celebrationem ei posita fuit, (pacificae scl. cohabitationis sine contumelia Creatoris); quae per Tribunal constrictio si effectum non esset habitura, procedi posse ad separationem a toro et mensa. Sed de *his omnibus* non fuit posita quaestio; ad rem revera quaesitam tandem in fine respondetur, scl.: quandiu pars infidelis fuerit superstes, viam ad novas nuptias non patere; et quidem, non quia Ecclesia hanc facultatem dare non vellet, sed — (uti contextus docet) — quia eam dare non posset « *via Privilegii Paulini* »; nam de hac sola via in omnibus quinque quaestionibus est sermo. Ecclesiam neque ulla alia via solutionem vinculi posse peragere, ex hac responsione Officii deduci non potest. Nihilominus, attente hac responsione (et maxime prima eius parte) considerata, exsurgit suspicio, etiam huic S. Officii Responsioni aliquo modo subfuisse dubium omnimodae huiusmodi matrimoniorum indissolubilita-

tis. Aliunde enim scitur: tunc temporis fuisse theologos, qui opinati sint: nullum omnino matrimonium *consummatum* (sive ratum, sive naturale) quoad vinculum posse solvi, unice excepto matrimonio, inito inter duos infideles, de quo (ex positiva Dei licentia) valeat Privilegium Paulinum, (non extensum neque per Ecclesiam extensibile ad ullum aliud vinculum). Hinc solutionem matrimoniorum, quae ab initio inita fuerunt inter unam partem baptizatam et alteram partem non-baptizatam, si fuerint consummata, *solvi* non posse, declarari tamen posse *nulla* ob defectum consensus ex parte coniugis baptizati. Coniux enim iam ante matrimonium baptizatus potuit habere voluntatem parti infideli: aut ius matrimoniale *nunc non tribuendi,* (tunc esset consensus non in matrimonium, sed in concubinatum), aut non concedendi ius *nisi sub condicione resolutiva* futurae pacificae cohabitationis (tunc matrimonium esset nullum ob condicionem contra substantiam matrimonii). Haec argumentatio, si prae oculis habetur, Responsio S. Officii ad 4. quaestionem data facile perspicitur; nam casus quaestionis quartae supponit matrimonium, *valide* initum; hinc non laborans substantiali defectu consensus. Ergo supposita indissolubilitate *omnis matrimonii consummati* (excepto casu Privilegii Paulini), non patet via ad novas nuptias; (haec via pateret solummodo ex primis nuptiis invalidis). Hinc S. Officium parti fideli alia via providere studuit eo scilicet quod pars infidelis per media iuris ad bonam frugem compellatur et ad pacificam cohabitationem redire quasi cogatur; aut, (si haec

media manserint sine effectu), separatio a mensa et a toro peragatur.

11. Secundum Documentum est S. C. S. Offic. (Nankin) d. d. 5 Martii 1852; eius textus sic sonat.

« Petrus christianus, obtenta prius legitima dispensatione, matrimonium inivit cum muliere pagana, quae post tres menses habitationis et tori unionis aufugit ad alium maritum paganum, quocum nunc pacifice vivit, absque ulla spe conversionis, ne redeundi quidem ad virum fidelem. Quaeritur an revera Petrus teneatur innupte vivere, vel potius praevia interpellatione ad alias nuptias transire possit.

R. Non Posse Petrum transire ad alias nuptias ». (Fontes IV pg. 195, n. 918).

Responsum respicere usum Privilegii Paulini, elucet e verbis « *praevia interpellatione* ad alias nuptias transire »; nam de « interpellationibus » non solet esse sermo, nisi in usu Privilegii Paulini. Speciali attentione dignum est, asseri in responsione : Petrum *non posse* transire ad alias nuptias ; non dici : Petro « non permitti », ut transeat. Ratio huius colligitur ex supra ad Responsum anni 1759 dictis, scl. in casu Petri non est adimpleta « condicio sine qua non » usus Privilegii Paulini, qua exigitur, ut matrimonium, cui applicetur, ab initio initum fuerit inter duas partes non-baptizatas.

12. Tertium Documentum inscribitur : S. C. S. Off. (Siam.), 4 Julii 1855. Documentum exhibet Instructionem S. Officii, qua respondetur ad VI Dubia, proposita per Episcopum Mallensen, Vicarium Apost. Siamensem. Fere omnia respiciunt *interpellationem coniugis infidelis*, faciendam ex parte con-

iugis, per Baptismum ad fidem conversae. Inter Dubia hic quoque casus proponitur: vir infidelis in infidelitate successive, interposito semper divortio, plures habuit uxores infideles; ad fidem nunc conversus — (renuente prima uxore infideli, interpellata, num velit pacifice cohabitare) — potestne, frustra facta hac interpellatione, cum praevia dispensatione a disparitate cultus, contrahere cum secunda infideli, quae quidem vult pacifice cohabitare, non autem converti. Instructio S. Officii non distincte ad singula dubia respondet; nihilominus inter ea quae ponit etiam responsio ad allegatum casum particularem continetur, simulque datur authentica interpretatio usus Privilegii Paulini:

« Vetitum omnino est christianam nubere pagano; quod si, praevia dispensatione disparitatis cultus a S. Sede obtenta, quandoque eiusmodi matrimonium fieri contingat; notum est illud indissolubile futurum quoad vinculum, et solum aliquando quoad torum posse dissolvi, si motiva canonica adsint a iudice ecclesiastico agnoscenda. Nunquam proinde, vivente viro illo infideli, licet concubinario, poterit christiana mulier secundas inire nuptias. Si vero agatur de uxore pagana alicuius pagani concubinarii, quae convertitur, tunc facta interpellatione (ut supra), si renuat converti aut cohabitare absque iniuria Creatoris, ac proinde desinere a concubinatu (qui sine iniuria Creatoris certe haberi nequit), poterit uti privilegio in favorem fidei concesso.

Generatim, si coniugis conversio praecesserit matrimonium cum infideli, praevia dispensatione Apostolica initum, nullo modo illo frui potest privilegio in favorem fidei concesso; si vero matrimonium praecesserit conversionem, tunc pars conversa poterit uti eo privilegio, servatis servandis, prout dictum est ». (Fontes, IV, pg. 205, n. 931).

13. In his (respectu casus particularis) primum in memoriam revocantur impedimentum disparitatis cultus necnon severa prohibitio, qua parti fideli interdicitur contrahere cum infideli (maxime si hic renuit ad fidem converti); in immediate antecedentibus autem INSTRUCTIO monuerat: tale quid minime quidem licitum esse viro fideli; si vero agatur de particulari casu, et gravia subsequantur mala, certiorem faciendum esse Romanum Pontificem, ad quem recurrendum semper sit in casibus extraordinariis, cum adnotatione omnium circumstantiarum ». Subintelligitur: in tali casu (vi Privilegi Paulini) solvi posse primum vinculum, et dein dispensationem dari posse ab impedimento disparitatis cultus, in ordine ad contrahendum cum secunda illa uxore, permanente in infidelitate. Deinde de *hoc novo vinculo* (nexo cum praevia dispensatione a D. C.; quod ergo non est matrimonium ab initio initum inter duos infideles) INSTRUCTIO dicit: « Notum est, *indissolubile futurum, quoad vinculum,* et solum aliquando quoad torum posse dissolvi ... *Numquam* proinde, vivente viro illo infideli, licet concubinario, *poterit christiana mulier secundas nuptias inire* ». Statim apparet essentialis differentia inter hoc responsum et responsum supra datum de matrimonio, ineundo cum muliere, remanente in infidelitate; in primo responso dicitur « minime licitum esse »; nunc effertur: eiusmodi « matrimonium quoad vinculum *solvi non potest* »; « pars christiana, vivente parte infideli, secundas inire nuptias *numquam poterit* ». Aliis ergo normis regitur matrimonium, ab initio initum inter partem baptizatam et partem non baptizatam — (quod tunc temporis *pro*

omnibus baptizatis impossibile erat sine praevia dispensatione) —, et aliis normis matrimonium, ab initio initum inter duos infideles; hoc regitur Privilegio Paulino, illud non ita. Hoc ergo documento statuitur id ipsum quod effertur canone 1118 § 2.

S. Officium in hac INSTRUCTIONE tenuit omnino et continuavit lineam in Responso anni 1759 iam descriptam; haec duo documenta se invicem dilucidant et complent.

14. Ultimum Documentum, quod canoni 1118 § 2 adicitur, est: S. C. S. Offic. Instructio (ad Ep. S. Alberti), d. d. 9 Dec. 1874. Plurima S. Officio proposita fuerant dubia de matrimoniis barbarorum infidelium, qui nullam vinculi firmitatem servent, et mutent uxores sicut emunt et vendunt servos suos. — S. O. respondit ampla hac Instructione quae non quoad omnia spectat rem de qua nunc agitur; immediate ad can. 1118 § 2 faciunt haec:

« Eadem agendi ratio adhibenda est cum muliere nupta viro infideli quae donata fuerit gratia dispensationis vel sanationis in radice; neque ei nullatenus suffragatur privilegium Paulinum, quo parti fideli ab infideli dimissae potestas sit migrandi ad alia vota; hoc enim valet dumtaxat in matrimoniis initis inter duos infideles, quorum alter Christo se adiungit post matrimonium. Rem ita se habere iam edocuit haec S. C.: die enim 14 Iunii anni 1708 dubio: « Nonnunquam feminae christianae ex dispensatione nuptias contrahunt cum viris infidelibus a quibus postea abiiciuntur, et prorsus deseruntur; hae vero feminae sic a viris reiectae, quod continere se nequeant, sponte nubunt, vel aliquando contra propriam voluntatem a parentibus cum altero infideli, qui baptismum suscipere paratus est, vel cum christiano nuptui collocantur. Quaeritur num istud secundum matrimonium

legitimum sit vel validum?» respondit: NEGATIVE». (Fontes IV, n. 1036, pg. 352).

Claris verbis effertur differentia horum matrimoniorum, quae ab initio ineuntur cum dispensatione a D. C., a matrimoniis, ab initio initis inter duos infideles. Parti fideli quae, obtenta debita dispensatione, matrimonium iniit cum parte infideli « nullatenus suffragatur Privilegium Paulinum », quod valet dumtaxat in matrimoniis initis inter duos infideles ». Ideo omnia huiusmodi matrimonia, quae hoc falso et invalido usu « Privilegii Paulini » inituntur, secundum INSTRUCTIONEM *non sunt legitima vel valida.*

15. Examinatis et ponderatis his quattuor documentis authenticis, de re et sensu can. 1118 § 2 stabiliendum videtur hoc: Hac paragrapho unice et univoce negatur, Privilegium Paulinum — (dicitur initio § 2 « *hoc privilegium* ») — ullo modo applicari posse ad matrimonia inita cum dispensatione a D. C.; cum Privilegium Paulinum « valeat dumtaxat in matrimoniis, initis inter duos infideles ».

Unde deduci debet: *Privilegium Petrinum* hac paragrapho non contineri neque tangi; assertio: ipsa hac paragrapho enuntiari et urgeri: in usu Privilegii Petrini differentiam quandam et maiorem severitatem esse servandam, prout agatur de solvendo vinculo aut « *cum* » aut « *sine* » dispensatione a D. C. inito — (quod ultimum hodie fieri potest) — caret fundamento, offendit et contra ipsa verba huius paragraphi et contra historiam, quae ei subest.

16. Restat quaestio, num Privilegium Petrinum forte comprehendatur documentis Pontificiis in canone 1125 memoratis, scl. Pauli III, Pii V, Gregorii XIII. Textus huius canonis sic sonat.

Can. 1125. « Ea quae matrimonium respiciunt in constitutionibus Pauli III Altitudo, 1 iun. 1537; S. Pii V Romani Pontificis, 2 Aug. 1571; Gregorii XIII Populis, 25 ian. 1585, quaeque pro peculiaribus locis scripta sunt, ad alias quoque regiones in eisdem adiunctis extenduntur ».

Tria haec documenta supponunt matrimonium ante baptismum initum inter duos infideles; nullum ex iis agit de solvendo matrimonio, ab initio inito inter unam partem baptizatam et alteram partem non baptizatam.

Constitutione *Pauli III* conceditur polygamis, non recordantibus quae prima uxor fuerit, ducere unam ex pluribus iam assumptis, contrahendo per verba de praesenti; Constitutione *Pii V* conceditur polygamis sumere ex pluribus suis unam, quae cum ipsis baptizatur, maxime si difficile est invenire primam; Constitutione *Gregorii XIII* conceditur amplissima facultas dispensandi cum infidelibus (vi captis et in longinquas regiones abductis) a vinculo in infidelitate cum alia parte infideli contracto; ita ut post baptismum valeant novum matrimonium cum quovis fideli inire, dummodo constet partem infidelem moneri, aut eius responsum exspectari non posse, aut eam ad fidem tempore transacti secundi matrimonii iam conversam fuisse. Quo in casu agebatur de solvendo vinculo naturali, in initio inter duas partes infideles contracto, sed per subsequens utriusque partis baptisma in vincu-

lum ratum et sacramentale transformato. Sed neque in hoc casu agitur de ineundo novo matrimonio cum dispensatione ab impedimento D. C. — Retineri ergo omnino debet: etiam Constitutionem Gregorii XIII exclusive agere de solvendis matrimoniis, ab initio inter duos non-baptizatis initis. Pluries hoc in ea effertur: respicit enim « infidelium contracta gentili ritu matrimonia », respicit « coniuges infideles », respicit « connubia inter infideles contracta », respicit « ad fidem conversos qui ante baptismum susceptum matrimonium contraxerunt ».

Cum ad quasi legitimandum Privilegium Petrinum ad hanc Gregorii XIII Constitutionem provocetur, perinde ac si in ea *saltem etiam* sermo sit de solvendo vinculo, ab initio inter unam partem baptizatam et alteram non-baptizatam — (quod textui omnino contrarium est) — tenorem partis principalis huius Constitutionis verbotenus afferre iuvat:

« Nos, attendentes huiusmodi connubia inter infideles contracta, vera quidem, non tamen adeo rata censeri, ut necessitate suadente dissolvi non possint, talium gentium infirmitatem paterna pietate miserati, universis et singulis dictorum locorum Ordinariis et parochis, et presbyteris Societas Iesu ad confessiones audiendas ab eiusdem Societatis Superioribus approbatis et ad dictas regiones pro tempore missis vel in illis admissis, plenam auctoritate Apostolica, tenore praesentium, concedimus facultatem dispensandi cum quibuscumque utriusque sexus Christifidelibus incolis dictarum regionum et serius ad fidem conversis qui ante baptisma susceptum matrimonium contraxerunt, ut eorum quilibet, superstite coniuge infideli, et eius consensu minime requisito, aut responso non exspectato, matrimonia cum quovis fideli al-

terius etiam ritus contrahere et in facie Ecclesiae solemnizare, et in eis postea carnali copula consummatis quoad vixerint remanere licite valeant; dummodo constet etiam summarie et extraiudicialiter, coniugem, ut praefertur, absentem moneri legitime non posse, aut monitum intra tempus in eadem monitione praefixum suam voluntatem non significasse; quae quidem matrimonia, etiamsi postea innotuerit coniuges priores infideles suam voluntatem iuste impeditos declarare non potuisse, et ad fidem etiam tempore transacti secundi matrimonii conversos fuisse, nihilominus rescindi nunquam debere, sed valida et firma, prolemque inde suscipiendam legitimam fore decernimus. Non obstantibus etc. » (Appendix ad C.J.C. DOCUMENTA, Doc. VIII).

Dicendum ergo est: Privilegium Petrinum can. 1125 non contineri nec tangi.

17. Omnibus hucusque expositis, diligenter examinatis et ponderatis, concedendum videtur: non errare qui censeant: *Privilegium Petrinum,* si presse sumitur et secundum indolem eius exclusive propriam, *versari extra C. J. C.,* idest extra caput et art. I (can. 1118-1127) quod inscribitur « De dissolutione vinculi »; ideo rationabiliter desiderari, ut Codici adiciatur canon, quo huius Privilegii character typicus describatur simulque regula usus statuatur.

Habetur autem iam documentum authenticum Sedis Apostolicae, quo huic quorundam desiderio satisfieri videtur, et quidem editum — (sicuti textus supra ex FONTIBUS allegati) — a S. C. S. Officii, cum locorum Ordinariis communicatum, d. d. 1 Maii 1934, ex quo etiam doctrina et praxis Ecclesiae circa Privilegium Petrinum apparet. Hoc documentum inscribitur « NORMAE pro conficiendo

processu in casibus solutionis vinculi matrimonialis in favorem fidei per Supremam Summi Pontificis auctoritatem ». Cum finis et natura Privilegii Petrini primo huius documenti alinea, quod haberi potest eius quasi INTRODUCTIO, concinne describatur, iuvat hoc alinea verbotenus afferre:

« Connubia inita inter acatholicos, quorum saltem alter baptizatus non sit, valida quidem censenda sunt, non tamen adeo rata ut necessitate suadente dissolvi non possint [1] in favorem fidei per Supremam Summi Pontificis auctoritatem ».

Etsi hic allegata Constitutio Gregorii XIII est de Privilegio Paulino, non de Petrino, tamen haec citatio nemini vitio verti debet; nam, si Scripturae verba in sensu accommodato adhiberi possunt, a fortiori verba Pontificia. Praeterea, et si quis concedendum censuerit, Privilegium Petrinum esse « *extra Codicem* », minime concedi potest illud esse « *extra potestatem Ecclesiae* »; e contra, certo ea continetur. Tandem si Privilegium Petrinum non est identicum cum Paulino, tamen Paulino (fine et natura) est multum affine. Ideo specialis de Petrino CANON, si *Codici* inserendus censetur, apte adnecteretur ad canones qui sunt de Paulino.

(*continuabitur*)

F. HÜRTH, S. I.

---

[1] Const. Gregorii XIII « Populis », 25 ianuarii 1585.

QUAESTIO IURIS MISSIONUM

DE VALIDITATE MATRIMONIORUM IN QUIBUSDAM REGIONIBUS ISLAMICIS

Lex mahumetana, ut omnibus notum est, agnoscit tum polygamiam tum dissolutionem matrimonii, utique non sine certis restrictionibus. Ita vir permittitur habere plures simul uxores legitimas, at non ultra quattuor. Non tamen prohibetur servas habere concubinas, de quarum numero lex nullum praeceptum continet. Dissolutio item matrimonii conceditur intra limites in lege definitas.

Talis legislatio non correspondet, ut patet, exigentiis legis naturalis prout a magisterio ecclesiastico interpretatur, quippe quae essentiales proprietates matrimonii negligit. Non tamen iam inde concludi potest, matrimonia inita ab iis qui hanc legislationem ut iustam et legitimam agnoscunt, atque seipsos credunt huic legi subesse immo etiam desiderant servare eius praecepta, necessario esse nulla ac irrita. Non enim ideo matrimonium est nullum quia contrahens theoretice *putat* matrimonia posse dissolvi vel cum pluribus uxoribus ac concubinis posse existere legitime; nullitas tantummodo obtinet, quando contrahens practice *vult* contrahere matrimonium dissolubile vel sibi *vult* reservare ius contrahendi etiam, eodem matrimonio perdurante, cum aliis feminis, vel habendi commercium carnale cum illis. Neque ex eo, quod quis erronee *putat* matrimonium esse dissolubile vel admittere aliud

matrimonium simultaneum, ullo modo sequitur eum in contrahendo proprio matrimonio necessario *velle* illud inire ut dissolubile vel sibi *velle* reservare ius ad alias uxores aut concubinas habendas, immo contrarium potius erit praesupponendum, scilicet eum velle vero matrimonio, prout est in obiectiva rerum realitate, scilicet perpetuo et exclusivo, cum comparte copulari. Clare hoc edicit canon 1084 C. I. C.: « Simplex error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem, etsi det causam contractui, non vitiat matrimonium ». Cuius regulae ratio invenitur in instructione S. Officii ad Vicarium Apostolicum Oceaniae, die 6 aprilis 1843: dubitandum non est « quin validum matrimonium contrahi possit cum errore mere concomitante circa eius indissolubilitatem, quia tunc praevalet generalis voluntas contrahendi matrimonium iuxta institutionem Christi, et generalis illa voluntas privatum errorem quodammodo absorbet »[1]. Quae verba desumpta sunt a celeberrimo opere Benedicti XIV *De synodo dioecesana,* ubi, doctrinam traditam egregie comprehendens, scripserat: « Quicumque contractum vult, necesse est, ut eiusdem substantiam velit; ideoque, si contrahentes, in matrimonii foedere ineundo, conditionem apponunt illius substantiae contrarium, certissimum est argumentum, nequaquam eos in veri matrimonii contractum consentire: sine contrahentium autem consensu, matrimonium esse non potest. Quod si expressa illa conditio de matrimo-

[1] *Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide*, (= *Collectanea*), (Romae, 1907), vol.. I, num. 965, p. 532.

nio ob adulterium dissolvendo apposita minime fuerit, quantumvis contrahentes in eo fuerint errore, ut matrimonii vinculum per adulterium dissolvi posset, nihilominus locus est praesumptioni, ut, dum matrimonium, prout a Christo institutum fuit, inire voluerunt, illud omnino perpetuum, ac, interveniente etiam adulterio, insolubile contrahere voluerint; praevalente nimirum generali, quam diximus, voluntate de matrimonio iuxta Christi institutionem ineundo, eaque privatum illum errorem quodammodo absorbente; quo fit, ut matrimonium ita contractum, validum firmumque maneat. At, ubi contrahentes in ipso matrimonii contractu expressam apposuerunt conditionem de dissolvendo quoad vinculum matrimonio in casu adulterii; iam fieri nequit, ut error particularis absorptus maneat a generali voluntate contrahendi matrimonium, prout a Christo Domino institutum fuit: sed potius voluntas generalis eiusmodi extinguitur et suffocatur ab errore particulari, qui manifeste praevalet ac dominatur; atque hinc oritur nullitas matrimonii, in quo contrahendo apposita fuit conditio ipsius substantiae contraria [2]. Verum est, hoc argumentum primarie respicere matrimonia inita ab heterodoxis christianis, quorum generalis voluntas sequendi Christi legem merito supponi licet. Non secus tamen Benedictum opinari de matrimoniis initis a non baptizatis, quorum voluntas generalis, si non quidem in matrimonium prout a Christo Domino est institutum, tamen saltem in matrimonium

---

[2] Lib. 13, cap. 22, num. 7: *Benedicti XIV. Opera omnia,* (Prati, 1844), tom. 11, p. 645 s.

prout ab ipsa natura institutum est, ferri merito praesupponitur, ex eodem eiusdem operis sui capite non ambigue eruitur. Statim enim post sententiam suam, ut supra citatam, expositam, recensendo seriem auctorum qui hanc eandem opinionem docent, ita concludit: «... et ante ceteros egregie advertit Auctor Glossae in Cap. *De infidelibus*, verb. *Esse matrimonium, de consanguinitate et affinitate.* En eius verba: *Ipsi* (videlicet ii, qui ea voluntate ineunt matrimonium, ut, concurrentibus repudii causis, se illud solvere posse arbitrentur) *contrahunt ex proposito, ut, dum voluerint, separentur, dato libello repudii; sed hoc est contra substantiam matrimonii. Respondeo, si hoc pactum exprimatur in ipso contractu, nec inter eos, nec inter Christianos esset matrimonium; sed non copulantur ex pacto, licet postea abiiciant uxores de facto* » [3]. De cetero, ipsa suprema Congregatio, eadem principia docens, simul de infidelis et de haeterodoxi christiani matrimonio loquitur [4], immo, agendo de matrimonio solius infidelis, remittit ad idem caput eiusdem operis Benedicti XIV [5]. Ex quibus satis claret, canonem 1084 non continere principium applicandum solis matrimoniis baptizatorum, immo edicere regulam ex ipsa natura consensus matrimonialis deductam.

Nulla proinde haberetur ratio inquirendi de validitate matrimoniorum eorum, qui religioni et

---

[3] l. c., p. 646.

[4] Instr. ad Vic. Ap. Gallas, 28 martii 1860, num. 6: *Collectanea,* num. 1188, p. 649 s.

[5] S. C. S. Off. (Mongoliae), 29 nov. 1882, num. 6: *Collectanea,* vol. II, num. 1581, p. 167.

legi islamiticae adhaerent, nisi in quibusdam regionibus, speciatim in Indonesia existentibus, praeter legem generalem islamiticam, valeret insuper particularis quidam usus in matrimoniis celebrandis. Ubi hic usus observatur, videtur in ipsa forma celebrationis recipi conditio de futura dissolutione matrimonii, certis impletis conditionibus, quae conditio, ita in pactum deducta, matrimonium invalidum redderet iuxta canonem 1092, 2°: « Conditio semel apposita et non revocata ... si (sit) de futuro contra matrimonii substantiam, illud reddit invalidum ».

Praemissis, claritatis gratia, quibusdam notitiis de dissolutione matrimonii secundum ius islamiticum, usum particolarem in Indonesia vigentem exponemus, ut demum de eius effectu in validitatem matrimonii iudicium ferre possimus.

* * *

I. Dissolutio matrimonii in iure islamitico.

Modus longe communior quo fit dissolutio est sic dictum *ṭalāq,* seu repudium mulieris factum a marito. Repudium hoc totum pendet a libero arbitrio viri: illud declarare potest omni tempore quacumque de causa, quin a quodam tribunali aut ab alia quacumque auctoritate, neque civili neque religiosa, repudium vel rationes diiudicandae seu approbandae sint. In Indonesia lex civilis tantummodo exigit ut, peracto repudio, eius denuntiatio fiat apud auctoritates competentes. Vir post repudium factum, durante determinato tempore, plerumque

trium mensium, tenetur sustentationem praebere mulieri, cui alterum matrimonium contrahere in eadem periodo prohibetur. Si repudium prima vice fit, maritus illud revocare potest ante elapsum hunc terminum; item si altera vice; tertium repudium autem statim solvit matrimonium, manentibus obligationibus sustentationis et non contrahendi novum matrimonium [6]. (Omittimus hic loqui de aliquo modo astuto qui permittit repetere octies repudium, quo facto iam licet matrimonium inire cum eadem muliere).

Dum viris hoc modo ampla relinquitur libertas dissolvendi pro libitu matrimonia, mulieribus quidem quaedam media in lege conceduntur ad divortium obtinendum, at media haec talibus circumdata sunt cautelis, ut vix ad scopum ducere queant. Licet mulieri, certa quantitate pecuniae oblata, emere repudium; quantitas autem definiri debet communi consensu viri et mulieris, proinde practice divortium a consensu viri pendet, qui, exigendo summam pecuniae excedentem fontes compartis, hanc viam efficaciter praecludere potest. Praeterea mulier adire potest iudicem, accusare maritum quod obligationes suas erga ipsam non adimplet, et hac de causa petere dissolutionem matrimonii a iudice. At etiam hic modus dissolutionis in praxi vix adhiberi potest, quia valde difficile est accusatrici satisfacere omnibus conditionibus legis. Motiva enim, propter quae haec dissolutio a iudice

---

[6] Cf. F. M. PAREJA, *Islamologia*, (Roma, 1951), p. 433 s.; paululum fusius rem tractat E. BUSSI, *Principi di diritto musulmano*, (Milano, 1943), p. 102 s.

pronuntiari potest, non tantum sunt pauca, sed etiam non facile probari possunt. Ita non sufficit mulieri, probasse maritum ei non dedisse sustentationem sufficientem, eam neglexisse, eam crudeliter tractasse: tantummodo quando legitime demonstraverit, maritum non esse *capacem* ad eam sustentandam, tribunal dissolutionem concedere poterit. Similiter probatio aliarum causarum, propter quas divortium peti potest, a severis conditionibus pendet, quae eam valde difficilem reddunt. In praxi ergo haec media legalia pro mulieribus nullum valorem habent.

Quia tantopere differt conditio iuridica mulieris a conditione mariti, quod dissolutionem matrimonii attinet, in lege islamica, quod ne ab ipsis mahumetanis quidem ubique libenter recipitur, in quibusdam regionibus effugium quesitum et inventum est. Iamvero, est illud effugium quod ansam dedit usui particulari de quo nunc agere intendimus.

* * *

II. Repudium conditionale in iure consuetudinario quarundam regionum

Ṭalāq, repudium a viro factum, potest esse conditionale. Ipse tunc valorem repudii *pendere facit* ab impletione conditionis a se determinatae, quod significatur voce *ta'līq* (« suspensio »). Non requiritur aliud quam clara enuntiatio conditionis: ipsa purificata, matrimonium ipso facto solutum habetur. Huiusmodi *ta'līq* non raro immo frequenter occurrit: nunc adhibetur ad modum minationis:

« si tu non feceris hoc vel illud, eris repudiata »; nunc ad confirmanda asserta: « si non verum est, quod dixi, mulier mea repudiata est », et ita porro. Iamvero, repudium hoc conditionale medium praebuit quo provideretur conditioni iuridicae mulierum.

In ipsa scilicet celebratione matrimonii contractui matrimoniali adiicitur repudium, factum sub conditione de futuro. Erat usus antiquitus receptus in tota insula Giavanensi, in multis aliis regionibus Indonesiae et *Straits-Settlement,* agnitus in iure consuetudinario (*adat*) et, ut verbis utar celebris periti legis islamicae, « iuxta persuasionem indigenam ... quasi ... indispensabilis caeremonia in omni contractu matrimoniali ineundo » [7]. Immediate post consensum matrimonialem praestitum, sponsus, quin praecesserit ullum pactum praevium inter partes, edicit *ṭa'līq* sub conditione, et quidem hac ratione ut quando ipse defuerit, durante determinata periodo, obligationi sustentationem praebendi uxori, vel male eam tractaverit, vel eam per determinatum temporis spatium dereliquerit, vel aliud simile fecerit, ut videre licet in formulis repudii statim afferendis, ipse uxoris repudium re-

---

[7] T. W. JUYNBOLL, *Manuductio ad cognitionem legis islamicae* (Leiden, 1925^3; lingua neerlandica), p. 207. Item C. SNOUCK HURGRONJE, *The Achehnese* (Leiden, 1906), tom. I, p. 351: « The adat has always within human memory required every man who maries to pronounce a *ṭa'līq* immediately after the conclusion of the contract ». Tantummodo quando homines nobiliores aut iuris islamici periti matrimonium ineunt, non semper repudium conditionale dicitur, cum ipsi numquam male uxorem tractaturos esse supponantur. Tunc ergo uxor hac via divortium obtinere nequit.

nuntiet. Cum autem repudium ipso facto purificationis conditionis valere inciperet, inde etiam si uxor id minime vellet aut nesciret conditionem impletam esse, quod secum ferret incertitudinem de existentia matrimonii, solent adiici duae aliae conditiones, requisitae ut repudium valorem obtineat, nimirum: « si uxor consenserit et rem auctoritati ad hoc competenti denuntiaverit ». Inde denuntiatio, libere ab uxore peracta, demum *ṭa'līq* valere facit.

Non semper repudium hoc omnino correspondebat exigentiis legis islamicae. Haec enim, sub sanctione invaliditatis, requirit ut repudium, inde etiam repudium sub conditione dictum, prorsus voluntarium sit, a viro sua sponte factum, ac praeterea ut ab ipso viro edicetur. Vix autem *ṭa'līq*, partem constituens caeremoniarum receptarum in matrimonii celebratione, voluntarium omnino dici potest, non solum quia habetur elementum indispensabile ipsius celebrationis, at insuper quia quondam praeceptum erat a Principibus illarum gentium, ut liquet ex ipso nomine quo in quibusdam regionibus vocatur, quod sonat « promissio Principis », seu a Principe institutum. Idem saepe exprimitur ipsis verbis repudii, ut in formulis adiectis habetur. Praeterea saepius non ipse sponsus formulam repudii pronuntiabat, at minister coram quo celebretur matrimonium eam praelegebat, cui deinde affirmative respondebat maritus. Numquam tamen ius consuetudinarium (*adat*) hoc *ṭa'līq* invalidum habebat. Immo a peritis legis mahumetanae orthodoxae, plerumque iurisperitis arabicis, plures formulae ad congruentiam legis redactae sunt. Etsi hi iu-

risperiti minime faciles se praebere soleant in admittendis usibus discrepantibus ab iis qui in centro religionis islamicae servantur, tamen percepta hac consuetudine indonesiana placato animo eam accipiebant benigneque aestimabant.

Videamus iam, quomodo et in quibusdam adiunctis repudium conditionale pronuntiebatur. In Indonesia, iuxta sic dicta praecepta matrimonialia, matrimonium semper celebrabatur coram « ministro matrimoniorum ». Hic, praemissis quibusdam precibus et monitis, dicit: « Ego coniungo in matrimonium NN, filiam NN, cum te, NN (sponso), cum dote unius *tahil* argenti ». Deinde verbis praeit sponso dicenti: « Consentio — matrimonio NN — filiae NN — cum me — et dos est unum *tahil* argenti ». Minister rogat: « Solvenda statim aut die statuta? ». Sponsus: « Die statuta ». Minister, sese convertens ad procuratorem (*wali*), plerumque patrem, sponsae — quae ipsa numquam intererat — rogat: « Assentiris dotem filiae tuae die statuta solvendam manere? ». Procurator: « Assentior ». Sequuntur quaedam preces arabicae ad implorandum auxilium et benedictionem Dei super matrimonium. Deinde fit *talik,* quod in regione *Solo* ita sonabat: Minister: « Sponse ». Sponsus: « Adsum ». Minister: « Accipe contractum sub conditione, a Sua Maiestate institutum, quod ita sonat: Statim ac reliqueris uxorem tuam NN, septem mensibus in itinere terrestri aut duobus annis in itinere maritimo, excepto si fiat de mandato Principis; si uxor tua, de hoc dissidens a te, rem denuntiaverit ministro (*pengulu*), sequitur unum repudium a te et reposcitur dos tua unius *tahil* argenti ».

Sponsus: « Accipio ». Exigentiis iuris islamici magis consonat alia formula, recepta in regione *Madiun*: « Statim ac reliquerim uxorem meam, vocatam NN, septem mensibus in itinere terrestri aut uno anno in itinere maritimo sine intermissione; aut obligationi meae sustentandi eam et vestitum praestandi non satisfecerim septem mensibus sine intermissione; et uxor mea, de hoc dissidens, rem denuntiaverit ministro (*pengulu*), sequatur unum repudium a me causa NN (uxoris) ».

Variae formulae substantialiter non differebant, saltem quantum nostram rem attinet [8].

---

[8] En quaedam:

(Djocjacarta): Si dereliquerim uxorem meam NN, septem mensibus in terra aut uno anno in mari, nisi mandatum regis explere debeam, aut si ei non praestiterim habitationem vel sustentationem, aut quando uxori meae NN munus maritale non expleverim, et tunc uxor mea NN rem denuntiaverit ministro (*pengulu*), cadat unum repudium (*talak*) a me super uxorem meam NN.

(Mangkunegaran): Domine Sponse, accipe promissum regis *taklêk* (= *ṭa'līq*). Non licet tibi derelinquere uxorem tuam septem mensibus in terra aut duobus annis in mari, nisi mandatum regis implendum habes, aut si neglexeris uxorem tuam et ipsa hoc indignata fuerit, tunc cadet unum *talak* a te, et solvere debebis in dotem unum *tahil* argenti albi.

(Muntilan): Accipe promissum *talak* quod est quintuplex; repetas quaeso. Ita, bene. Si non dederim amorem (munus maritale) aut sustentationem aut reditus unde vivat aut habitationem, aut si eam dereliquerim septem mensibus in terra aut uno anno in mari, et tunc ipsa, hoc indignata, rem denuntiaverit legi (= tribunali), cadet unum *talak* a me super uxorem meam NN.

(Semarang): Si neglexerim aut dereliquerim uxorem meam NN septem mensibus in terra aut duobus annis in mari, nisi adimplendo mandatum regis, et si tunc uxor mea NN indignata rem denuntiaverit iudici, cadet unum *talak* a me super uxorem meam NN.

(Djacarta): Cognovi, me repudiare uxorem meam, committen-

Hae notitiae [9] sat completam, ut puto, imaginem praebent celebrationis matrimoniorum in dictis regionibus, secundum ius vigens usque ad annum 1950: inde ab illo anno verum a Constitutione Reipublicae Indonesiae, ad tempus proposita, in omni matrimonio a subditis non-christianis iuxta legem islamicam ineundo, *praecipitur* *ṭa'līq* huius tenoris: « Serva promissum: postea satisfactio eius a te exigetur. Post matrimonium contractum ego NN, filius NN, nunc dico *ṭa'līq* - *ṭalāq* uxori meae NN, filiae NN, ut sequitur:

1. Si uxorem meam dereliquerim sex mensibus continuis aut

---

do unam ex tribus actionibus infra dictis, et hoc dum desiderium est in corde meo nullam harum faciendi. Hae tres actiones sunt sequentes. Quotiescumque ei non dederim sustentationem, quam ei debeo secundum legem, per unum mensem, si uxor mea indignata fuerit et ipsa, vel ea suadente procurator eius legitimus, rem eius denuntiaverit et praesentaverit Consilio religionis, et ipsa per se vel per procuratorem petiverit divortium, tunc uxor mea repudietur uno repudio (*talak*). Quotiescumque dereliquerim uxorem meam itinere terrestri vel in hoc regno sex mensium, vel itinere transmarino unius anni... etc. Quotiescumque uxori meae plagam intulerim ictu qui dolorem excitat et insuper non congruit iuri (*adat*)... etc.

[9] Eas accepi ex articulo inedito, anno 1937 conscripto et mihi nunc benigne transmisso a P. ZOETMULDER, professore in Universitate Djocjacartensi. Monet ipse, has notitias non esse anno 1925 posteriores, formulas autem anno 1907 fuisse congestas, quo tempore iam testimonium, etsi sat incertum, exstabat, in loco *Purworedjo* antiquam formulam fuisse suppressam, ac deinceps in solis matrimoniis mulierum nobilium celebrandis adiici formulam: « Si uxor mea NN a tribunali petiverit divortium ea de causa, quod assumpsi alteram uxorem, erit inde una vice a me repudiata ». Missionarius, in singulis casibus, inquiret utrum *ṭa'līq* locum habuerit in actu matrimonii ineundi.

2. defuerim officio meo, non praestando sustentationem tribus mensibus continuis aut

3. vehementer uxorem meam percusserim aut

4. neglexerim uxorem meam tribus mensibus continuis;

et uxor mea, hoc indignata, rem denuntiaverit tribunali competenti idque accusationem agnoverit et acceperit; si praeterea uxor mea solverit unum *rupiah* in compensationem; tunc cadit unum *ṭalāq* a me super uxorem meam ».

Sponsi lingua vernacula formulam dicunt, postquam minister sensum explicaverit iis qui linguam ufficialem non bene callent. Sequitur subsignatio utriusque partis et testis.

Praeterea hisce ultimis annis in quibusdam locis mos invaluit, quod sponsus et ipsa sponsa coram ministro (*pengulu*) ut ministro *civili* consensum exprimunt et contractum subsignant.

III. Effectus repudii conditionalis in valorem matrimonii.

Matrimonia Mahumetanorum, quorum celebrationi haec particularis caeremonia adnectitur, minime eadem evidentia ac cetera matrimonia, legi islamicae obnoxia, valida declarari possunt. Immo serium dubium surgit, utrum respectu illorum valerent verba S. Officii, in instructione 6 apr. 1843 immediate sequentia verbis supra citatis: « Attamen ubi adhibetur formula cum explicita vel implicita illa conditione, iam fieri nequit, ut particularis error absorptus maneat a generali voluntate contrahendi iuxta institutionem Christi ». Conditio illa

autem est qua uti solent plures Protestantes, scilicet: « contraho tecum donec in fidelitate permanseris »; quae formula matrimonium nullum reddit.

Quaestio igitur est: num formula repudii conditionalis eundem effectum habet? Aut potius, matrimonio iam in esse suo constituto, consensu sponsi et procuratoris (*wali*) sponsae, supervenit repudium, quod iam nullam veram efficaciam habere potest? Num « formula cum explicita vel implicita conditione » illa tantum intelligitur, qua ipse contractus matrimonialis concluditur, quo casu caeremonia illa indonesiana non comprehenderetur; aut, praeter formulam qua ipse consensus manifestatur, etiam aliae caeremoniae in valorem vim exercere possunt?

Ut hisce quaestionibus recte respondeatur, iuvabit attente considerare responsa et instructiones S. Officii de hac re datas. Constanter ibi recurrit haec regula: « Si intentio solvendi matrimonium sit deducta in pactum vel in conditionem, matrimonium nullum est [10]. Iam animadvertimus, S. Offi-

---

[10] 2 dec. 1680 (Bosniae), Resp.: si intentio foedandi vel solvendi matrimonium sit « deducta in pactum, seu cum ista conditione sint contracta, matrimonia sunt nulla; sint aliter, sunt valida »: *Collectanea*, vol. I, num. 221, p. 75;

23 iul. 1698 (Mission. Capuccin.), Resp. ad I: « si adsit pactum dissolubilitatis, non esse matrimonium neque sacramentum; si vero non adsit, esse matrimonium et sacramentum »: *ib.*, num. 243, p. 85;

11 dec. 1850 (Vic. Ap. Sandwic.), Resp. ad 25 et 26: ... nisi constet matrimonium fuisse nullum ... ob legem divortii in pactum deductam ... »: *ib.*, num. 1054, p. 571;

19 aug. 1857 (Tahiti), Resp. ad 1: « Quoties in foro externo rite constet coniuges animo ac voluntate solvendi vinculum con-

cium hac regula uti in matrimoniis tum haeterodoxorum christianorum tum non baptizatorum diiudicandis, unde eam accommodare licet in causam nostram. Iam liquet quaestionem de valore matrimoniorum iuxta usum indonesianum initorum reduci posse ad hanc alteram magis concretam: num in casu dissolubilitas matrimonii in pactum deducitur in actu ineundi matrimonium? Ad hanc quaestionem elucidandam videamus primo in quibusnam casibus documenta S. Officii admittant de facto dissolubilitatem in pactum esse deductam, deinde quasnam rationes afferant quibus hoc iudicium innititur.

Casus magis notus et fusius perscriptus legitur in instructione 6 april. 1843: « Inter formulas conditione irritante vitiatas, non postremum locum tenet ea quae *transylvanica* dicitur, quaque Calvinistae in Transylvania et in pluribus aliis locis utuntur. Substantia huius formulae ... in eo consistit: Minister protestans ad contracturos dicit: *Audite S. Evangelium*; deinde praelegit eis Matth. 19, v. 9. *Dico autem vobis quia quicumque dimiserit*

---

traxisse, aut cum expressa repudii conditione in pactum deducta, matrimonium est nullum »: *ib.*, num. 1147, p. 611;

28 mart. 1860, Inst. (ad Vic. Ap. Gallas), n. 6: « Consideranda est etiam et forma nubendi, an in pactum redigatur matrimonii solubilitas, aliudve essentiae matrimonii contrarium »: *ib.*, num. 1188, p. 650;

20 iun. 1866, Instr. (pro Vic. Ap. ad Gallas), num. 25: « ... pravam contrahentium opinionem, licet patriis legibus sive moribus confirmatam, quod nimirum matrimonii vinculum dissolvi possit, nequaquam per se officere matrimonii validitati, nisi haec opinio deducatur in pactum tamquam conditio in actu ineundi matrimonii »: *ib.* num. 1293, p. 722.

uxorem suam, nisi ob fornicationem etc., quo textu ipsi abutuntur ad stabiliendos suos errores, et contracturi, qui eisdem erroribus participant, admonentur de restringendo consensu. Post consensum utrimque editum, perdurante eodem ritu, ab ipsis iuramentum exigitur, in quo sibi mutuo promittunt fidelitatem quoadusque altera pars in honestate perstiterit. Pariter vitiata esset formula si minister pro textu Matth. 19, adhiberet alium ...; *ac denique solum iuramentum, ut supra emissum in ipso ritu contractus sufficit ad matrimonium irritandum* [11].

Hisce claret, non requiri ad contractus nullitatem efficiendam, ut conditio contra substantiam matrimonii in ipsis verbis contractus contineatur: sufficit ut habeatur inter caeremonias quae fiunt, « in ipso ritu contractus », ut iuramentum illud. Immo verba quae curavimus litteris imprimi cursivis omnino innuere videntur, matrimonium, etiam deficiente monito de consensu restringendo, invalidum fieri solo subsequenti iuramento.

Eadem instructio statim subiungit rationes generales hac in re perpendendas, quae tamen, etiam fusius et clarius, retractantur in instructione 24 ian. 1877: « ... omni diligentia et solertia investigandum erit, utrum conditio contraria perpetuitati et indissolubilitati vinculi coniugalis aliqua ratione, directe vel indirecte, explicite vel implicite, in pactum fuerit a contrahentibus deducta, seu utrum matrimonium fuerit contractum cum prava

---

11 Instructio ad Vic. Ap. Oceaniae: *Collectanea*, num. 965, p. 532 s.

voluntate non consentiendi in vinculum perpetuum. Ad hoc cognoscendum non solum consideranda erunt verba, quibus consensus fuit expressus, sed etiam ponderanda erunt facta, quae ipsam consensus expressionem, vel modum eiusdem expressionis respicere possunt: quae, si talia fuerint ut usus et consuetudo illorum locorum ea interpretentur tamquam praedictae conditionis irritantis inductiva, pronum erit inferre abfuisse consensum in contractum perpetuum et omnino indissolubilem ». Et infra: « Praeterea cum ex precibus, vel ex adhortatione, quae aliquando praemittitur, aliquando postponitur formulae, vel ex mutuis promissionibus contrahentium, aliquod vitium irritans emergere possit, etiam ad caeremonias huiusmodi erit attendendum; nam plerumque formula iuramenti, et mutuae promissiones aequivalere possunt pacto, quod scilicet earundem violatio inducat cessationem iurium et obligationum inter coniuges, et consequenter rescissionem vinculi matrimonialis [12].

Hisce conclusio supradicta confirmatur: consideranda sunt etiam ea, quae ipso contractui matrimoniali praecedunt vel subsequuntur: si inter ea invenitur monitum, promissio, pactio, quibus excluditur essentialis matrimonii proprietas, irritas contractus inde sequi potest, quando scilicet haec aequiparanda sunt conventui seu pacto, quod continet conditionem contra substantiam matrimonii.

Praedicta causae nostrae accommodando, concludendum erit: *ṭa'līq* seu repudium conditionale

---

12 Instructio ad Ep. Nesquallien.: *Collectanea*, vol. II, num. 1465, p. 103.

non est aliud ac « conditio contraria perpetuitati et indissolubilitati vinculi coniugalis ... in pactum deducta », et quidem « directe et explicite ». Sponsus enim expressis verbis se velle matrimonium, certis impletis conditionibus, solutum iri declarat, eiusque declaratio fit in caeremonia, quae « immediate postponitur consensui matrimoniali ». Non refert solum sponsum dicere repudium : nam sponsa, in persona procuratoris (*wali*), repudium tacite approbat, et de cetero, etiamsi alterutra tantum pars excludit proprietatem essentialem, matrimonium irritum est (can. 1086, par. 2).

* * *

Quaedam moventur difficultates contra hanc solutionem.

1° Num caeremonia repudii conditionalis revera tam arcte coniuncta est celebrationi ipsius matrimonii, ut consensus ab illa dependere ab eaque vitiari dicenda est? Nonne potius res ita erit concipienda : post matrimonium, rite et valide celebratum, vir statim edicit primum repudium, ut conditio sponsae in illo matrimonio iam contracto securior fiat; repudium tamen illud non magis invalidat matrimonium quam si fieret post mensem vel annum.

Nobis haec solutio non possibilis videtur. Communis est persuasio populi *ṭa'līq* constituere caeremoniam indispensabilem in matrimoniis celebrandis; iure consuetudinario (*adat*) praecipiebatur ut nunc iure scripto; statutae formulae solemne servantur; et haec ea ipsa intentione, ut sponsae inde ab initio *ius* concedatur, datis circumstantiis,

finem matrimonii faciendi. Fateor me non videre ullam viam qua evitetur conclusio, ipsos contractus matrimoniales iniri hoc pacto. Seu, quod ad idem redit: non video quomodo simul sustineri posset, et sponsum in ipso contractu habere voluntatem tradendi ius in corpus perpetuum et exclusivum (can. 1081 § 2), et eum statim post declarare matrimonium, datis conditionibus, iure solutum iri. Voluntas generalis, ut verbis utar Benedicti XIV, extinguitur et suffocatur ab errore particulari; et quidem a primo instanti quo matrimonium surgere deberet.

Videtur tamen haec obiectio iustificari posse ex ipsis conceptibus iuris islamici: *ṭa'līq* enim ideo dici debet post matrimonium initum, quia ipse contractus non admittit conditionem vel terminum [13]. Revera concedo, ius islamicum, si mere formulas iuridicas spectas, admittere tantum dissolutionem matrimonii ex causa superveniente, ut est repudium vel divortium; non agnoscit dissolutionem quae formaliter ex ipso contractu prodiret [14]. Hae autem distinctiones iuris formales non mutant rei veritatem, quae est haec: coniungendo pactum de dissolutione matrimonii, quo mulieri conceditur *ius* finem

---

13 Bussi, *o. c.* (nota 6), p. 104: « ... il *ta'lîq* — che non può essere posto nel contratto di matrimonio, perchè, come abbiamo visto, il matrimonio non può essere a termine nè sottoposto a condizione — vien fatto pronunciare al marito dopo la conclusione del matrimonio ».

14 Bussi, *o. c.*, p. 98: « Il consenso non deve essere sottoposto a condizione nè a termine, con chè è stato reso impossibile il matrimonio a tempo (*mut'ah*), cioè quel matrimonio la cui durata (col minimo di un'ora) è stabilita nel contratto nuziale stesso; col sopravvenire del termine tale matrimonio si scioglie da sè ».

connubii faciendi, statim celebrationi, partes eo ipso manifestant, quoad ipsas non iam posse sustineri praesumptionem, eas consentivisse in matrimonium prout in se est, scilicet perpetuum, imo se consensum dedisse in matrimonium prout est in iure islamico, scilicet repudio dissolubile. Si coram tribunali ecclesiastico invicte probaretur, partes catholicas hac ratione contraxisse, quod immediate post matrimonium in ecclesia contractum, sibi invicem *ius* dederint solvendi matrimonium statim ac sponsus per spatium unius anni absens fuerit, nemo erit iudex qui non adhaereret sententiae constare de nullitate. Non aliter iudicandum est, si de mahumetanis eadem quaestio movetur [15].

2° *Ṭa'līq* seu repudium conditionale est mera formalitas, quae nihil confert ad voluntatem contrahentium, nullamque mutationem in ea producit. Homines, ut sunt valde simplices, plerumque legere et scribere nescientes, vix vel ne vix quidem intelligunt verba a ministro vel a seipsis pronuntiata. Id quod facere volunt, est matrimonium inire, non plus nec minus, et cum hoc fiat faciendo et dicendo ea omnia quae a ministro requiruntur, ea faciunt et dicunt.

---

[15] De cetero, ne ipsae rationes iuris islamici aeque valere videntur in Indonesia ac in aliis regionibus mahumetanis. In iure matrimoniali provinciarum arabicarum conditio iuridica viri prorsus superior erat conditioni mulieris, inde in iis *ṭa'līq* non est nisi amplificatio superveniens iurium uxoris. Contractus matrimonialis autem in iure consuetudinario (*adat*) giavanensi aequalem fere conditionem tribuebat utrique parti, inde *ṭa'līq* ibi, contra ius islamicum, potius videtur conservare mores patrias, ac, vel magis quam alibi, simul cum formula qua consensus matrimonialis exprimitur, constituere unum verum matrimonium islamico-giavanense.

Obiectio haec, etiamsi modum non excedat in parvipendendo intelligentiam hominum simpliciorum, quod vix credo, certocertius non eo usque valet, ut loco praesumptionis, internum scilicet animi consensum esse conformem verbis vel signis in celebratione matrimonii adhibitis (cf. can. 1086 § 1), iam obtineat praesumptio contraria. Etiam homo rudis, etsi non distincte, saltem intelliget se consentire in aliquam dissolutionem matrimonii. Neque talis vitiata celebratio apta et valida manifestatio esse potest consensus interioris, ne quidem si hic non esset vitiatus. Inde matrimonium invalidum praesumi oportebit, etiam si de rudioribus agitur, donec invicte probaretur, utique ex verbis vel signis vel factis ipsorum, eos *non* voluisse conditionem repudii matrimoniali contractui apponere.

3° Longe maior pars Giavanorum sponte laudant, admirantur et sibimetipsis desiderant connubia in quibus fides inter coniuges integra servatur usque ad mortem. Vix boni Giavani, vel maxime simpliciores homines, matrimonium concludunt quin habeant desiderium et firmam voluntatem fidem sponsae in perpetuum servandi, sequendo naturalem inclinationem suae gentis. In ipsis formulis repudii conditionalis clare elucebat et etiamnum elucet, viro minime in animo esse umquam occasionem repudii praebere, immo tale quid prorsus respuere. In rei veritate igitur vult matrimonium unum, indissolubile, perpetuum.

Respondetur : rectissime affirmatur spontanea inclinatio hominum in veram naturam matrimonii amandam et amplectendam. Haec enim inclinatio, ut vidimus, est ipsum fundamentum doctrinae ca-

tholicae de *praesumenda* validitate matrimonii etiam apud eos qui de natura eius erronee opinantur. Tamen: solemnis est distinctio, non referre quid partes *de facto* facere in animo habeant, sed tantummodo, quasnam relationes *iuris* inter se condere velint. Sponsus qui vera *iura* matrimonialia sponsae tradere intendit, valide contrahit, etsi *de facto* fidelis esse non velit. Pariter: sponsus qui matrimonium certis conditionibus solubile *de iure* inire intendit, invalide contrahit, etsi *de facto* iure repudii numquam uti velit. Quaestio de validitate est quaestio iuris, non facti!

4° Iniustum est, valida habere illa matrimonia islamica, in quibus mulierum est conditio iuridica inferior et incerta, invalida e contra ea, quae efficacem tutelam et ius aequale uxoribus praebent.

Omnino concedendum est, bonas et nobiles intentiones usui *ṭa'līq* subesse. Mens nostra non est et nequit esse, iudicare de subiectiva bonitate et honestate. Ex eo, quod matrimonium obiective invalidum declarari debet, minime sequitur, partes non posse ducere vitam honestissimam et legi naturae quam maxime consentaneam; sicut ex validitate obiectiva matrimonii non sequitur honestas et bonitas subiectiva partium. Immo (si ea quae theologi docent de baptismate in voto analogice rei nostrae accommodare licet) votum inscium Sacramenti, si inest connubio naturali, etsi forte invalido, hominibus bonae fidei ac voluntatis magis proderit quam malis ipsum sacramentum validum. Si autem de validitate quaestio movetur, parum refert, utrum ex bona vel ex mala intentione ius divortii uxori concedatur. Non ut iudicium ferrem de honestate

matrimoniorum hanc quaestionem tractavi, sed ductus hac sola ratione, quod eius solutio frequenter usui veniet, quoties scilicet aliquis, qui cum repudii conditionalis caeremonia matrimonium contraxit, postea in Ecclesia baptizatus alterum matrimonium christianum inire desideraret. *Ex hac parte* nihil obstaret, cum primum matrimonium sit invalidum. Et si quis forte rationes allatas tantum sufficere putaret, quibus probetur primum matrimonium esse dubii valoris, tamen invaliditas legitime praesumitur ex canone 1127 : « In re dubia privilegium fidei gaudet favore iuris ».

P. Huizing, S. I.

SIMULATIO ET DISSIMULATIO IN SACRAMENTORUM MINISTRATIONE

Nuper agens in hoc periodico de methodo tractandi « casum practicum », per modum exempli adduxi aliquem casum practicum quem Bogsrucker tractavit in Theol. Prakt. Quartalschrift, 1954, n. 1. Casus agit de sacerdote, qui inopinatim aperire nequiens vasculum S. Olei, ne aegrotus et circumstantes contristentur, pollice solo (absque Oleo) signo crucis signat membra aegroti et interim aliquas preces murmurat. Indoles illius mei articuli commendabat me non agere *de merito doctrinae* ab auctore casus elaboratae. Finis enim propositus erat agere *de methodo* servanda in proponendis et solvendis casibus practicis. Quapropter in illo articulo nonnisi breviter declaravi me non consentire cum auctore in doctrina exposita, utpote meo iudicio erronea et doctrinae saltem plurium moralistarum contraria. Promisi tamen me fusius de hac re esse disceptaturum ut asserta probarem. En sensus et finis huius articuli.

Qui critice legit ea, quae moralistae de simulatione sacramenti scribunt eaque inter se comparat, notabiles invenit divergentias, iam in statuendo quid proprie sit simulatio sacramenti; deinde in faciendo distinctiones et divisiones. Divisiones allatae non sunt completae seu adaequatae, ita ut non comprehendant omnes casus qui continentur sub toto, quod dividitur [1].

---

[1] Wouters (Theol. Mor. II, n. 17) triplicem ponit divisionem, scilicet: 1. uti materia et forma; 2. uti materia aut forma; 3. adhi-

Terminologia usitata, qua opponi solent simulatio et dissimulatio non est proprie erronea vel inepta. Negari tamen nequit eam facile provocare conceptus minus claros et concisos, praecipue apud iuvenes aliosque ad quos libri manuales sunt destinati. Qui audit distinctionem « *simulatio - dissimulatio* », facile et non inepte supponit sermonem esse de actibus circa eandem rem. Revera autem in primo distinctionis membro agitur de ministratione Sacramenti, in secundo e contra de non-ministratione sacramenti (de denegatione absolutionis; de S. Eucharistia non data).

Omnibus mature perpensis mihi utile visum est statum quaestionis aliqualiter extendere. Id enim de quo proprie agendum est in tractatu de sacramentis in genere non est tantum, utrum simulatio sacramenti sit licita an illicita. Quaestio utilis latius se extendit. Agitur de statuenda indole morali omnium actuum, quorum moralitas est vel saltem apparet suspecta, quia in iis videtur haberi deceptio obtenta mediante imitatione ministrationis sacramenti.

Antequam substantiam quaestionis aggrediamur quaedam praenotare nos iuvat.

---

bere aliquid quod materiae aut formae (vel et formae) speciem refert. Inter 2 et 3 omittitur illa categoria ad quam practice fere omnes pertinent casus simulationis scilicet uti parte tantum materiae aut formae, a. v. adhibere formam mutilatam vel materiam aliqualiter mutatam vel corruptam, ita ut sacramentum non vere seu valide conficiatur.

Praenotanda sunt tria.

I. Materia tractanda pertinet ad tractatum de sacramentis *in genere.* Hunc tractatum sic disponere, ut simul satisfiat eius fini et exigentiis paedagogiae seu methodi recte docendi praecipue incipientes, quae methodus praeter claritatem requirit simplicitatem et evitat dicta generalia quae non sunt generaliter vera, et pro posse etiam evitat nimias exceptiones, non est opus facile [2]. Dantur enim plures doctrinae partes, quae sub uno aspectu non pertinent ad tractatum de sacramentis *in genere,* quia non valent de *omnibus* sacramentis, sub alio autem aspectu utiliter ponuntur in hoc tractatu, quia valent saltem de *pluribus* sacramentis (uno vel aliquibus tantum exceptis) et propter hoc earum propositio in tractatu de sacramentis in genere tollit necessitatem has doctrinas pluries repetendi in quolibet tractatu de hisce sacramentis in specie

---

[2] In tractatu potius dogmatico de sacramentis in genere haec difficultas minus sentitur quam in tractatu morali-practico, prout in nostris manualibus theologiae moralis invenitur. Doctrina enim practica cogit ad tractandas multas quaestiones speciales seu non generales. Attamen etiam in tractatu stricte dogmatico difficultas sentitur. Iam in tractatu de sacramentis in genere quem S. Thomas habet in Summa Theologica (Pars III, qq. 60-65) ipse agit de charactere; qui certo non est aliquid quod competit sacramentis in genere consideratis, sed tribus tantum sacramentis. In eodem tractatu plura alia dicuntur, quae certo non valent de omnibus sacramentis, notatim non de matrimonio, e. g. quod in sacramento requiruntur verba. Matrimonium etiam aliis signis celebrari et consequenter ministrari potest. Celebre dictum S. Augustini: « accedit verbum ad elementum et fit sacramentum » (III, q. 60, art. 6 in *Sed contra*), non valet pro sacramento matrimonii, nec in sensu stricto de sacramento poenitentiae.

agente. Duae res mihi videntur in componendo tractatu de sacramentis in genere valde commendandae:

A) Claris verbis tractatui *praemittere* monitionem, quod non omnia quae propter rationes practicas et brevitatis causa in hoc tractatu dicuntur valent de *omnibus* sacramentis, quia septem sacramenta sunt quidem omnia sacramenta, sed sub pluribus aspectibus inter se valde differunt. Inter septem sacramenta inveniuntur tria quae quantum ad eorum structuram et elementa essentialia propria notabiliter ab aliis quattuor discrepant. Praeprimis sacramentum matrimonii, quod est omnino sui generis, habens naturam contractus [3]. Deinde

---

[3] Matrimonium enim est sacramentum habens indolem ita specialem seu sui generis, ut multa, quae aliis sacramentis conveniunt, in eo prorsus desint. Ratio huius est, quia signum externum a Christo Domino electum pro hoc sacramento est actus, qui habebat et semper habebit valorem proprium in vita naturali tam morali quam iuridica, sive sociali sive privata. Elegit scilicet illum contractum naturalem, quem homines celebraverunt ab initio mundi et celebrabunt usque ad finem eius, independenter ab institutione sacramenti matrimonii, et etiamsi hoc sacramentum ignorent aut eius existentiam negent. Actus externi aliorum sacramentorum habent tantummodo valorem in quantum sunt causa et signum gratiae; pro ordine naturali practice nullum habent valorem. Parvam quantitatem aquae infundere in caput infantis et pronuntiare verba formae baptismi in se nullum habet valorem ideoque non fit extra sacramenti ministrationem. E contra signum externum seu actus externi septimi sacramenti habet valorem maximum pro vita naturali seu ut actus naturalis. Hoc sacramentum essentialiter ligatum est cum huiusmodi actu naturali. Ipse autem habet insuper naturam omnino specialem, scilicet contractus. Consequens est ut matrimonium sit sacramentum ab aliis valde differens, quo fit ut plura, quae de sex aliis sacramentis communiter valent, pro hoc sacramento non valeant. (Vide VLAMING-BENDER, *Praelectiones Iuris Matrimonii*[4], p. 26-28).

sacramentum poenitentiae, quod habet formam iudicii, et SS. Eucharistiae, quod alio actu conficitur alio actu administratur seu subiecto recipienti applicatur; quod insuper est sacramentum *permanens* [4].

B) Tractatum dividere in tres partes principales, scilicet:

1. De iis, quae valent de omnibus sacramentis.

2. De iis, quae valent de omnibus sacramentis, excepto matrimonio.

3. De iis, quae valent de quattuor sacramentis, scilicet de Baptismo, Confirmatione, Extrema Unctione et Ordine [5].

---

[4] Nemo ignorat plura quae in genere dicuntur de forma et de materia et de eorum habitudine et modo ponendi, de distinctione materiae proximae et remotae, etc., non eodem sensu valere de quattuor sacramentis de quibus supra et de sacramentis poenitentiae, SS. Eucharistiae, et matrimonii. In sacramento matrimonii non habetur materia remota neque distingui possunt forma et materia, nisi in sensu valde improprio. Id quod vere constat est quod, si debeamus vel si velimus etiam in matrimonio admittere duas partes distinctas, quae se habent tamquam materia et forma, tunc eae quaerendae sunt in actibus qui componunt manifestationem consensus matrimonialis. Etiam quae de ministro, de eius intentione, sive perficiendi sive recipiendi sacramentum dicuntur, non valent eodem modo de sacramento matrimonii: item quae de praesentia subiecti ad ministrum; de unione formae cum materia, etc. In Sacramento poenitentiae materia est omnino aliquid aliud quam in aliis quinque sacramentis, scilicet sunt *peccata* et *actus* poenitentis. In SS. Eucharistia deest materia proxima, tamquam actus distinctus a forma. Intentione autem in hoc sacramento conficiendo non tantum sacramentum conficitur aut omittitur, sed etiam materia praesens includitur aut excluditur. Deinde hoc Sacramentum utpote permanens applicari potest separatim a sua confectione.

[5] Saltem quoad materiam ut aiunt proximam haec quattuor conveniunt. Hodie post Constitutionem « Sacramentum Ordinis » (Nov. 1947) scimus ad Sacramentum Ordinis non requiri materiam remotam, sed solam manuum impositionem.

Ea quae dicenda sunt de sacramentis hic exceptis, proponentur in tractatibus de quolibet sacramento *in specie.*

II. Etiam in capite de simulatione sacramentorum nequit convenienter de omnibus sacramentis una disceptatione tractari. Semetipsum et lectores periculo exponit errandi, qui aggreditur hanc quaestionem antequam animadvertat ea, quae dicuntur non aeque valere de quolibet sacramento. Duo videntur tractatui praemittenda:

1. A quaestione de simulatione sacramentorum in genere omnino excluditur sacramentum matrimonii. Propter indolem omnino specialem matrimonio propriam quaestio de huius sacramenti simulatione est separatim tractanda, sicut fieri solet ubi sermo est de fictione in praebendo consensu matrimoniali. Quapropter etiam in hoc articulo ea quae generaliter de simulatione sacramentorum dicuntur, non intenduntur etiam dicta de sacramento matrimonii.

2. In hoc capite agitur de statuenda indole morali actuum quibus aliquo modo sacramentum imitatur. Hic actus sunt plures genere distincti. Imitatio sacramentorum, et hominum in hac materia deceptio respicere potest tam sacramenti *confectionem,* quam sacramenti *administrationem* (collationem), quam denique sacramenti *receptionem.* In omnibus sacramentis, qui sunt *actus transitorii,* imitatio confectionis coincidit cum imitatione administrationis. In SS. Eucharistia autem, quod est sacramentum *permanens,* in quo proinde confectio non coincidit cum administratione, imitatio administrationis haberi potest quin habeatur imitatio confe-

ctionis et vice versa. Imitatio *receptionis* sacramenti est actus personae recipientis seu subiecti sacramenti (non ministri). Imitatio confectionis vel administrationis (ex parte ministri) fieri potest quin ipsi correspondeat imitatio receptionis (ex parte subiecti), scilicet quoties minister sic agit quin subiectum voluntarie partem habeat in imitatione, sive quia nihil scit aut animadvertit sed et ipse decipitur, sive quia, etsi rem animadvertens, nequit impedire actum a. v. si minister agat absque conventione qua subiectum cum eo collaborat ut alii decipiantur. E converso sola imitatio receptionis absque imitatione saltem administrationis videtur casus fere impossibilis. Haberetur tamen si aliquis accederet ad scamnum S. Communionis et momento quo sacerdos, cum quo nihil convenit, praebebit Hostiam os claudat et caput inclinet ac si vere receperit Sacramentum, ita ut sacerdos aut ad alios transeat aut, Hostia in pixidem reposita, redeat ad altare. In aliis sacramentis difficilius adhuc habetur sola imitatio receptionis, nisi ad hoc computaretur receptio externa absque interna voluntate seu intentione recipiendi sacramentum. Etiam hic agendi modus non absque ratione vocari potest simulatio sacramenti recepti, sed sub aspectu morali potius vocari solet invalida sacramenti receptio.

III. Inter imitationem sacramenti et invalidam sacramenti confectionem, administrationem, receptionem datur notabilis similitudo. Imo, invalida confectio, etc. saepe erit simul imitatio (simulatio) sacramenti, nempe quoties ei coniungitur voluntas agendi ut alii putent sacramentum esse vere ministratum. Ex hoc sequitur ut invalida sacramenti mi-

nistratio non proprie opponatur sacramenti simulationi, sed simulatio fieri possit aliquo actu qui aut est invalida sacramenti ministratio aut ne hoc quidem est, sed nonnisi alius omnino actus, qui tantum habet speciem seu figuram actus sacramentalis.

Quapropter pro nostra quaestione nullius momenti est exacte statuere quid sit sacramentum invalidum seu quid sit eius elementum constitutivum *positivum*, quo nempe distinguitur ab actu, qui tantummodo habet speciem seu figuram sacramenti, e. g. missae et consecrationis ceremonias perficere, quin adsit panis et vinum et quin proferantur verba consecrationis. Hoc enim non est invalida consecratio, sed consecrationis omissio; tamen eius simulatio [6].

Problema disceptatur.

His praenotatis aggredienda a nobis est quaestio, de qua proprie disceptare nobis proposuimus. Agitur de actu vel de actuum complexu, quo ratione similitudinis imitari possumus aut 1. sacramenti confectionem, aut 2. sacramenti solam administrationem, aut 3. sacramenti receptionem. Cum simulatio in sacramento matrimonii omnino ab hac disceptatione excludatur et simulatio *solius confectionis* absque simulatione administrationis nonnisi in

---

6 Difficile est indicare ubi ponendus est limes inter invalidam confectionem et totalem omissionem confectionis. Sed certum est non requiri *totum* signum externum ut habeatur invalida confectio. Secus enim iam non haberetur invalida confectio sed omissio confectionis si baptismus conferreretur vino vel omissione nominis Spiritus Sancti; si consecraretur panis corruptus, etc. Hoc est contra modum loquendi omnium, maxime theologorum.

SS. Eucharistiae sacramento haberi possit, quae simulatio est iam evidenter intrinsece illicita propter rationes speciales (idololatriam, maximam irreverentiam, etc.), investigationem reducere possumus ad quattuor quaestiones, scilicet:

I. Utrum liceat imitari sacramenti confectionem-administrationem?

II. Utrum liceat solam imitari sacramenti administrationem?

III. Utrum liceat imitari solam receptionem sacramenti?

IV. Utrum liceat actu externo positivo abscondere negationem absolutionis sacramentalis?

Quaestio II et IV non agunt nisi de uno solo casu et ni fallor alii non habentur in praxi. Agunt nempe de imitatione communionis datae [7] et de occultatione absolutionis sacramentalis non datae. Alios casus nunquam inveni.

Imitatio (et occultatio) hic intelligitur actus coram aliis, qui actum aliquo modo percipiunt. Quoties agitur de actu ministri sacramenti (I et II) hi alii possunt esse et subiectum sacramenti imitati et personae extraneae (circumstantes).

Doctrina de simulatione sacramentorum

Prius agendum nobis est de aliqua specie imitationis omnino sui generis, scilicet de actibus, qui externe habent similitudinem sacramenti, sed simul

---

[7] Hoc esse casum imitationis et non meram occultationem omissionis postea demonstrabimus, tractantes quaestionem II.

externe omnibus percipientibus apparent esse meram imitationem seu actum sacrum non vere peractum, e. g. in schola theologorum vel obstetricum baptizare infantem vel adultum vel pupulum, ut demonstretur quomodo agendum sit. In hoc casu a magistro vel a discipulo vere ponuntur actus externi, qui sunt materia et forma sacramenti, sed non tantum deest intentio (interna), sed etiam *externe* res est et apparet omnino aliquid aliud quam sacramentum vel ponere materiam aut formam sacramenti. Idem habetur si in ludo seu repraesentatione theatrali aliquis baptizetur; si diaconus ordinationi sacerdotali proximus exercitii causa super panem et vinum pronuntiet verba consecrationis.

De indole morali istorum actuum nonnisi pauca sunt dicenda. Hi actus non sunt mali defectu sinceritatis aut veritatis, ut patet. Apparent id quod revera sunt: exercitium; ludus theatri. Nulla in ipsis habetur falsitas vel deceptio. Suntne autem mali defectu reverentiae sacramento debitae? Hoc non sunt *natura sua*. De exercitiis practicis serio peractis hoc patet. De ludis theatralibus idem dici debet. Huiusmodi ludi nullatenus *ex se* ordinantur ad irreverentiam exprimendam erga res, actus, instituta, etc, quas repraesentant. Multae vitae humanae sive naturalis sive supernaturalis partes ludo theatrali tractari solent, etiam partes nobilissimae (potestas vel maiestas regia, officium paternum, vita familialis (matrimonium), iudicia tribunalium, oratio, extasis, miracula, apparitiones sanctorum), quin aliquo modo eorum dignitas laedatur et reverentia, qua homines has res tractare debent destruatur aut

damnum patiatur. Hoc eodem iure valet de sacramentorum ministratione [8].

Statuta indole morali actuum qui sensu omnino improprio sunt imitatio sacramentorum, transeamus ad respondendum quaestionibus positis.

I. Estne licitum imitari confectionem-administrationem sacramenti, sic ut alii putent sacramentum vere perfici?

Huiusmodi imitatio pluribus fieri potest modis:

a) Ponere *omnes* actus externos, qui constituunt signum externum sacramenti, sed absque intentione seu voluntate vere conficiendi-administrandi sacramentum.

b) Ponere *aliquos* actus externos, qui constituunt signum externum sacramenti, omissis aliquibus, qua omissione causatur ut sacramentum non vere et valide conficiatur. Hoc fieri potest:

1. Ponere totam formam et omittere totam materiam.

2. Ponere totam materiam et omittere totam formam.

3. Materiam aut formam aut utramque mutare seu mutilare, ita ut sacramentum non vere conficiatur [9].

---

[8] Sane, nemo ignorat aliquid, quod per se non est malum, fieri posse malum ex circumstantiis supervenientibus e. g. ex modo quo fit. Omnes partes, omnia instituta vitae humanae ludo theatrali vilipendio tradi possunt. Imo, negandum non est aliquod periculum speciale haberi cum res sanctae repraesentantur, ratione materiae valde delicatae. Sed hoc periculum non reddit ipsam repraesentationem in se illicitam, sed solummodo nos movere debet ad maiorem cautionem ne irreverentia aut profanatio oriatur.

[9] Rarissime contiget ut finis quem minister sua imitatione

c) Ponere actus, qui non sunt partes componentes signi externi sacramenti, sed actus qui speciem seu figuram praebent actus sacramentalis. Hi autem actus iterum in duas distingui possunt categorias:

1. Actus qui in se aut saltem in circumstantiis concretis, in quibus fiunt, nullam habent nec habere possunt utilitatem et sensum, et qui propterea non fiunt neque fieri possunt nisi quia habent similitudinem actus sacramentalis.

2. Actus qui ex se habent utilitatem et sensum proprium in vita humana, e. g. dare benedictionem. Horum diversorum agendi modorum statuenda est indoles moralis. Quemlibet habere aliquid de imitatione (simulatione) sacramenti in dubio vocari nequit. Methodus scientifica commendat ut prius conemur indolem moralem deducere ex elementis quae, ut aiunt, constituunt problema seu ex natura actuum, de quorum liceitate agitur; deinde quaedam dicimus de doctrina theologorum.

De actibus sub I. a, b, c 1, comprehensis notandum est quod nihil refert utrum apparentia externa sacramenti confecti obtineatur actibus qui sunt forma et materia sacramenti an aliis actibus; utrum e. g. sacerdos, volens intuentium oculis speciem praebere se administrare extremam unctionem, utatur oleo an aqua, utrum pronuntiet formam sacra-

---

seu simulatione intendit exigat ut *totum* signum externum adhibeat. Fere semper sufficiet aliquos actus tantum ponere, qui sunt signi externi pars. Pauca plerumque sufficiunt ut adsistentes laici, linguae latinae ignari, et in rubricis et ceremoniis non optime versati, in errorem ducantur et nulla suspicio apud eos suscitetur de sacramento non rite ministrato.

mentalem an proferat alia verba vel meram murmurationem; minus adhuc referre videtur utrum adhibeat *omnes* actus qui constituunt formam et materiam, an solam materiam absque forma genuina, an partes tantum materiae et (aut) formae, e. g. utrum absque intentione ministrandi sacramentum aegrotum « ungat » aqua aut pollice sicco, pronuntians formas; an ungat oleo, sed pronuntiat alia verba; an omnia externe rite faciat.

Haec omnia nihil referunt. Nam malum seu peccatum, de quo nunc agimus non consistit in hoc quod inutiliter seu absque effectu ponuntur actus, qui ex toto vel ex parte constituunt signum sacramentalem [10]. Hoc enim etiam et plene habetur in exercitio vel in ludo theatrali. Malum de quo hic est sermo consistit in hoc quod falsitas seu deceptio committitur in confectione sacramenti, externe serio et coram aliis peracta, cum voluntate ut alii hos actus teneant pro sacramenti confectione-administratione, cum revera autem non conficiatur sacramentum [11].

---

[10] Etiam absque effectu ponere actus sacros est aliquod malum specialis indolis. Hoc malum non inest cuilibet simulationi. Est distinctum a specie mali, quo imitatio sacramenti est malum sua propria natura. De illo malo non est sermo nunc.

Aliud autem est ponere actus sacros, aliud repraesentare (ludo theatrali) actus sacros, aliud peragere exercitium practicum actuum sacrorum. In moralibus natura actus saepe non dependet a solis elementis physicis seu materialibus.

[11] Plures auctores in hoc errare videntur quod quaestionem tantummodo considerant sub aspectu *irreverentiae* quae inhaeret invalido seu inani usui actus sacri et relate ad hunc aspectum iudicant de indole morali simulationis. Omittunt attendere ad aspectum qui est simulationi vel imitationi *proprius* et ad eius malitiam *specificam*. Tunc pervenitur ad doctrinam, quam propo-

Haec operatio falsa seu decipiens est actus circa sacramentum. Utique, non circa sacramentum quod physice adest seu vere conficitur. Nam tunc non haberetur imitatio (simulatio). Sed circa sacramentum prout a nobis cognoscitur et reverentia religiosa tractari debet. Huiusmodi operatio est circa sacramentum, sicut actus quo in diarii articulo vel in folio humoristico deridet quis aut subsannat baptismum vel SS. Eucharistiam aut sicut actus quo quis contemptui tradit Summum Pontificem tempore Sedis vacantis.

In ordine morali seu in vita iuridica et humana seu rationali ut actus sit circa sacramentum non requiritur ut sacramentum physice adsit, ut habeatur actum circa sacramentum. Sufficit ut actus sit circa sacramentum prout a nobis cognoscitur.

Habetur igitur in omnibus casibus hic tractatis (a, b, c. 1) actus *circa sacramentum*. Iste autem actus est malus, est deordinatus. Est enim actus qui de se ordinatur ad alios decipiendos seu in errorem mittendos. Hic habetur deordinatio in usu sacramentorum seu in usu rerum sacrarum et quidem valde sacrarum, utpote mediorum essentialiter supernaturalium et a Deo et Christo institutorum ut sint causae et signa gratiae. Si essent solae causae gratiae, iam haberetur deordinatio in usu rei tam sanctae. Cum insuper sint *signa gratiae* i. e. actus a Deo instituti et ordinati ut significent aliquid, scilicet gratiae infusionem, imitatio videtur esse magis

---

nit e. g. Wouters n. 18, sub 3: « cum ritus sacramenti neque integer neque partialiter ponatur, videtur deesse iniuria sacramento illata, ita ut restet solum mendacium ».

adhuc naturae huius actus seu naturae sacramenti contraria; est signi sacri corruptio essentialis. Hoc actu enim aliquid in ordine rerum sacrarum significatur et simul id non perficitur. Nulli dubio obnoxium esse potest huiusmodi deordinationem esse gravem seu grave peccatum. Imo, videtur peccatum mortale valde grave. Insuper, cum deordinatio illa gravis insit imitationi sacramenti ratione suae naturae, haec imitatio est actus *intrinsece* graviter malus. Nulla ratione gravi, nullo fine operantis iustificari potest. Vocatur simulatio sacramenti. Differentiae, quibus inter se differunt diversi modi comprehensi sub a, b, c. 1, possunt esse causa differentiae in gravitate malitiae accidentalis, sed in omnibus aequo modo invenitur gravis irreverentia sacramenti; falsitas in usu sacramenti. Qui ponit totum signum externum aliqualiter gravius peccat quam qui praeter intentionem internam insuper omittit partes signi externi aut a fortiori qui solos adhibet actus sacramenti speciem tantum habentes, sed in omnibus modis semper invenitur substantialis seu essentialis malitia quae est gravissima. Idem valet de differentia inter actus quo recipiens decipitur et actus quo alii decipiuntur.Prior est gravius peccatum, sed utrumque est peccatum grave. Malitia specifica est eadem [12].

---

[12] Gravius iam sub aspectu simulationis. Insuper peccatum aggravari potest ex hoc quod damnum infertur. Simulatio qua decipitur subiectum sacramenti saepe huic causat damnum, quod non infertur personis actui extraneis. Ipsae communiter decipiuntur tantum. Illud autem damnum differre solet pro diversitate casuum. Sed haec omnia sunt mala, quae superveniunt ipsi malitiae essentiali simulationis.

Nihil etiam refert utrum sacerdos qui imitatur sacramenti confectionem vel administrationem quaerat deceptionem aliorum tamquam finem an solummodo tamquam medium quo alium finem, forsitan optimum, attingere cupit. Neque exacte loquuntur et periculo errandi et alios in errorem inducendi se exponunt theologi qui hanc distinctionem (sic) proponunt: agere eo fine ut alii decipiantur vel *permittere* ut alii in errorem ducantur. Nam qui causat deceptionem non ut finem sed ut medium nullatenus eam *permittit,* sed eam *quaerit, directe* causat, ideoque directe vult [13].

Quae autem dicta sunt de actibus sub a, b, c. 1, comprehensis, non valent de actibus sub c. 2 designatis. Exemplum quod classicum vocari potest est actus quo confessarius poenitenti, cui denegare debet absolutionem, dat benedictionem, monito poenitente, eo fine tamen ne alii, circumstantes, percipiant absolutionis denegationem. Ratio movendi quaestionem de indole morali seu de liceitate huius agendi modi est *aliqua* similitudo quam habet cum actibus de quibus modo statuimus malitiam intrinsecam. Quaerendum igitur est quare hic agendi modus non habeat eandem malitiam quam illi actus habent, quamvis aliqualiter conveniant.

Evidens est hic non quaeri de liceitate ex parte *finis,* qui enim est abscondere denegationem absolutionis. Hoc in se est perfecte licitum, imo bonum

---

13 Qui directe causat et vult aliquod malum (occisionem, mutilationem) eius actus habet malitiam specificam huic obiecto insitam seu propriam. Sic qui directe causat et vult, tamquam finem vel tamquam medium, deceptionem in re sacramentali (simulationem), eius actus contrahit malitiam specificam huius deceptionis.

et obligatorium [14]. Sed finis bonus etiam attingi potest mediis illicitis. Quaestio nostra respicit *medium*. Quis est actus, quo confessarius abscondit denegationem absolutionis? Est benedictio seu signum crucis manu signatum super poenitentem, iunctum formula benedictionis seu precibus. Quaenam est natura istorum actuum? In quo hic actuum complexus differt e. g. ab alio complexu actuum qui est: pollice sicco signo crucis signare membra moribundi cum aliquibus precibus? Id quod facit confessarius est complexus actuum, qui de se et etiam in circumstantiis concretis plura significare possunt. Sacerdos saepe et in multis circumstantiis, etiam in confessionali cum poenitente, sive rite absoluto sive non absoluto, hos actus externos peragit. Benedictio loco absolutionis datur religiosis qui ad normam iuris confessario extraordinario se praesentare debent, sed nolunt nec tenentur apud eum confiteri [15]; benedictio vel signum crucis manu factum poenitente praesente a confessario saepe fit quoties datur sic dicta absolutio (non sacramentalis) alicuius tertii ordinis; vel ad benedicendum numismata, imagines, etc., quae poenitens in manu tenet, etc. Quapropter signum crucis et verba, etiamsi fiant a sacerdote in confessionali sedente et erga poenitentem, nullatenus sunt signum proprium

---

[14] Finem esse obligatorium numquam significat licere hunc finem attingere medio, qui est actus intrinsece malus, etiamsi hic et nunc solum medium possibile. Si finis de se obligatorius attingi nequeat nisi huiusmodi actu, finis simpliciter attingi nequit, e. g. salvare vitam est finis de se obligatorius, sed impossibile si fieri nequeat nisi abortu directe provocato tamquam medio.

[15] Can. 521.

sacramenti poenitentiae seu signum absolutionis sacramentalis, aut huius actus sacramentalis pars. Sacramentum poenitentiae conficitur pronuntiatione formae absolutionis super personam quae fecit confessionem dolorosam peccatorum suorum[16]. Sola circumstantia quod signum fit in confessionali, non facit quod ille actus induat speciem absolutionis sacramentalis. Sane, huiusmodi circumstantiae haberi possent. Si e. g. sacerdos poenitenti monito de deneganda absolutione, alta voce quam circumstantes audiunt diceret: « et nunc dicas actum contritionis et ego tibi dabo absolutionem », deinde faceret signum crucis cum formula alicuius benedictionis submisse prolata, actus esset ex circumstantiis *imitatio sacramenti* et ni fallor intrinsece malus, illa scilicet indutus malitia quae vocatur simulatio sacramenti. Tunc actus esset computandus inter eos de quibus supra locuti sumus.

Sed ex solo facto quod sacerdos fecit signum crucis verbis coniunctum circumstantes nequeunt sive certo sive cum aliqua probabilitate iudicium formare sacerdotem dedisse absolutionem sacramentalem. Quilibet fidelis scire potest et debet et communiter etiam quilibet scit officium sacerdotis in confessionali non esse *absolvere poenitentem,* sed officium esse *aut absolvere aut denegare absolutionem,* prout status poenitentis hoc exigit. Quid

---

16 Non recte docet Pruemmer scribens de casu confessarii dantis benedictionem ne alii percipiat denegationem absolutionis: dissimulatio est positio actionis non sacramentalis, e qua alii (non suscipiens) *iudicant* sacramentum esse collatum. Hoc non est exactum. Dici debet: quo alii *impediuntur* scire (iudicare) sacramentum non esse collatum.

autem in casu concreto fiat, non apparet personis huic confessioni extraneis. Tota operatio in confessionali peragenda sic est instituta et ordinata, ut decisio teneatur occulta aliis, et propter hoc circumdatur aliis actibus et precibus, qui non sunt de actu sacramentali et quae etiam fieri solent, si denegatur absolutio sacramentalis. Et revera, si aliquis ex signis et precibus sacerdotis concluderet sacerdotem dedisse absolutionem seu administrasse sacramentum, non decipitur a sacerdote, sed seipsum decipit. Quod iam apparet ex hoc quod sifficit eum cogere ad crisi subiiciendum suum iudicium, ut fere semper mutet suam conclusionem. Sufficit e. g. quaerere: esne certus sacerdotem vere absolvisse? nonne dedit simplicem benedictionem? Insuper, circumstantes rem percipientes proprie concludunt ad absolutionem datam, non quia viderunt actum sacerdotis facientis signum crucis, sed quia nihil viderunt quod iustificat suspicionem in contrarium et ex alia parte sciunt sacerdotes raro denegare absolutionem.
4. Ubi copia habeatur sacrorum ministrorum, sacrae functiones hebdomadae sanctae cum omni splendore sacrorum rituum peragantur. Ubi vero sacri ministri desint, adhibeatur ritus simplex, servatis rubricis peculiaribus, ut suis locis notatur.

5. In Ordine hebdomadae sanctae instaurato, quotiescumque dicitur: « ut in Breviario romano »,

---

2 *Rom.* 6, 4.

omnia desumenda sunt ex praedicto libro liturgico, servatis autem normis, per decretum generlae S. Rituum Congregationis « De rubricis ad simpliciorem formam redigendis », diei 23 Martii anni 1955, statutis.

6. Per totam hebdomadam sanctam, id est a dominica II Passionis seu in palmis usque ad Missam vigiliae paschalis inclusive, in Missa (et feria VI in solemni actione liturgica), si solemniter celebratur, scilicet cum ministris sacris, ea omnia, quae diaconus vel subdiaconus aut lector, vi proprii officii cantant vel legunt, a celebrante omittuntur.

b) *Pro dominica II Passionis seu in palmis*

7. In benedictione et processione adhibeantur rami palmarum seu olivarum, vel aliarum arborum. Hi rami, secundum locorum varios usus, vel ab ipsis fidelibus parantur et in ecclesiam afferuntur; vel, benedictione peracta, fidelibus distribuuntur.

c) *Pro feria V in Cena Domini*

8. Pro solemni Sacramenti repositione paretur locus aptus in aliquo sacello vel altari ecclesiae, sicut in Missali romano praescribitur, et decenter quoad fieri potest, ornetur velis et luminaribus.

9. Servatis Sacrae Rituum Congregationis decretis de vitandis vel tollendis abusibus in hoc loco parando, plane commendatur severitas quae liturgiae horum dierum convenit.

10. Parochi vel ecclesiarum rectores tempestive moneant fideles de publica adoratione sanctissi-

mae Eucharistiae, inde ab expleta Missa in Cena Domini instituenda, et protrahenda saltem usque ad mediam noctem, quando scilicet liturgicae recordationi institutionis sanctissimae Eucharistiae succedit memoria passionis et mortis Domini.

d) *Pro vigilia paschali*

11. Nihil impedit quominus signa, in cereo paschali a celebrante stilo incidenda, coloribus vel alio modo antea praeparentur.

12. Convenit, ut candelae, quas clerus et populus gestant, accensae maneant, dum praeconium baptismatis peragitur.

13. Vas aquae benedicendae convenienter ornari decet.

14. Si aderunt baptizandi, praesertim si plures sint, permittitur caerimonias Ritualis romani, quae ipsam baptismi collationem praecedunt, id est, in baptismate infantium usque ad verba « Credis in Deum » [3], et in baptismate adultorum usque ad verba « Quis vocaris? » [4], eodem mane, tempore opportuno, praemittere.

15. Si contingat in hac solemni vigilia sacras quoque Ordinationes conferri, Pontifex ultimam admonitionem (cum impositione sic dicti « pensi »), quae iuxta Pontificale romanum post benedictionem pontificalem et ante ultimum Evangelium locum habet, hac nocte eidem benedictioni pontificali praemittat.

---

3 *Rituale romanum*, tit. II, cap. II, n. 17.

4 *Rituale romanum*, tit. II, cap. IV, n. 38.

16. In vigilia Pentecostes, omissis Lectionibus seu Prophetiis, et aquae baptismalis benedictione ac litaniis, Missa etiam conventualis, vel solemnis aut cantata, incipitur more solito, facta ad gradus altaris confessione, ab introitu « Cum sanctificátus fúero » ut in Missali romano ibidem pro Missis privatis ponitur.

III - De Missa, sacra communione et ieiunio eucharistico in triduo sacro

17. Feria V in Cena Domini, antiquissima romanae Ecclesiae servanda est traditio, qua, privatarum Missarum celebratione interdicta, omnes sacerdotes omnesque clerici, sacris in Cena Domini intersint, quos expedit ad sacram mensam accedere [5].

Ubi vero ratio pastoralis id postulet, loci Ordinarius unam alteramve Missam lectam in singulis ecclesiis vel oratoriis publicis permittere poterit; in oratoriis autem semipublicis unam tantum Missam lectam; ea quidem de causa, ut omnes fideles hoc sacro die Missae sacrificio interesse et corpus Christi sumere possint. Hae autem Missae inter easdem diei horas permittuntur, quae pro Missa solemni in Cena Domini assignatae sunt [6].

18. Eadem feria V in Cena Domini, sacra communio fidelibus distribui potest tantummodo inter Missas vespertinas, vel continuo ac statim ab iis expletis; item sabbato sancto dari potest tantummodo inter Missarum solemnia, vel continuo ac sta-

---

5 Cfr. can. 862.

6 *Decretum*, II, 7.

tim ab iis expletis; exceptis infirmis in periculo mortis constitutis.

19. Feria VI in Passione et Morte Domini, sacra communio distribui potest unice inter solemnem actionem liturgicam postmeridianam, exceptis item infirmis in periculo mortis constitutis.

20. Sacerdotes, qui Missam solemnem vigiliae paschalis hora propria celebrant, id est post mediam noctem quae intercedit inter sabbatum et dominicam, possunt ipso dominico die Resurrectionis Missam festivam celebrare, atque etiam, si indultum habeatur, bis aut ter.

21. Locorum Ordinarii, qui feria V in Cena Domini, Missam chrismatis mane celebraverint, possunt vespere Missam quoque solemnem in Cena Domini litare; verum sabbato sancto, si vigiliam solemnem paschalem celebrare voluerint, possunt, sed non tenentur, Missam solemnem ipso die dominicae Resurrectionis litare.

22. Quoad ieiunium eucharisticum serventur normae in Constitutione apostolica « Christus Dominus » et in adnexa « Instructione » Supremae S. Congregationis S. Officii, diei 6 Ianuarii anni 1953, traditae.

IV - De quibusdam difficultatibus componendis

23. Cum pro diversitate locorum et gentium plures numerentur populares consuetudines, hebdomadae sanctae celebrationi connexae, studeant locorum Ordinarii et sacerdotes curam animarum gerentes, ut consuetudines huiusmodi, quae solidam pietatem fovere videantur, cum instaurato Ordine

hebdomadae sanctae prudenter componantur. Edoceantur porro fideles de summo valore sacrae Liturgiae, quae semper, et his praesertim diebus, ceteras devotionis species et consuetudines, quamvis optimas, natura sua longe praecellit.

24. Ubi mos hucusque viguit domos benedicendi ipso sabbati sancti die, locorum Ordinarii congruas edant dispositiones, ut haec benedictio opportuniore tempore, ante vel post Paschatis festum, a parochis, vel ab aliis sacerdotibus animarum curam gerentibus, ab ipsis delegatis, peragatur, qui, hanc nacti occasionem, fideles sibi commissos paterne invisent, ac de eorum statu spirituali certiores se reddant [7].

25. Campanarum pulsatio, in Missa vigiliae paschalis, ad initium hymni Gloria in excélsis praescripta, hoc modo fiat.

a) In locis, in quibus una tantum habetur ecclesia, campanae pulsentur hora, qua dicti hymni incipit cantus.

b) In locis autem, ubi plures ecclesiae exstant, sive in omnibus eodem tempore sacrae caerimoniae peragantur, sive tempore diverso, campanae omnium ecclesiarum eiusdem loci pulsentur una cum campanis ecclesiae cathedralis, vel matricis aut principalis. In dubio quaenam ecclesia in loco sit matrix aut principalis, adeatur Ordinarius loci.

Die 16 Novembris anni 1955.

C. Card. Cicognani, *Praefectus*

L. ✠ S. † A. Carinci, Archiep. Seleuc., *a secretis*

---

[7] Can. 462, n. 6.

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

INSTRUCTIO
SUPREMAE SACRAE CONGREGATIONIS S. OFFICII

DE ETHICA SITUATIONIS
(2 feb. 1956. - AAS. XXXXVIII 144-145)

Contra doctrinam moralem eiusque applicationem in Ecclesia catholica traditam multis in regionibus etiam inter catholicos spargi coepit systema ethicum quod plerumque nomine cuiusdam « Ethicae Situationis » venit, quamque dicunt non dependere a principiis ethicae obiectivae (quae ultimatim in « Esse » fundatur), sed cum ea non solum in eadem linea poni, sed eidem superordinari.

Auctores qui hoc systema sequuntur decisivam et ultimam agendi normam statuunt non esse ordinem obiectivum rectum, naturae lege determinatum et ex hac lege certo cognitum, sed intimum aliquod mentis uniuscuiusque individui iudicium ac lumen, quo ei in concreta situatione posito innotescit quid sibi agendum sit. Haec igitur hominis ultima decisio secundum eos non est, sicut

ethica obiectiva apud auctores maioris momenti tradita docet, legis obiectivae ad particularem casum applicatio, attentis simul ac ponderatis, secundum regulas prudentiae, particularibus « situationis » adiunctis, sed immediatum illud internum lumen et iudicium. Hoc iudicium saltem multis in rebus ultimatim nulla norma obiectiva, extra hominem posita atque ab eius persuasione subiectiva independente, quoad suam obiectivam rectitudinem ac veritatem est mensuratum, neque mensurandum neque mensurabile, sed sibi ipsi plene sufficit.

Secundum hos auctores « naturae humanae » conceptus traditionalis non sufficit, sed recurrendum est ad conceptum naturae humanae « exsistentis » qui quoad plurima non habet valorem obiectivum absolutum, sed relativum tantum ideoque mutabilem, exceptis fortasse illis paucis elementis atque principiis quae ad naturam humanam metaphysicam (absolutam et immutabilem) spectant. Eiusdem valoris tantum relativi est traditionalis conceptus « legis naturae ». Perplura autem quae hodie circumferuntur tamquam legis naturae postulata absoluta, nituntur secundum eorum opinionem et doctrinam in dicto conceptu naturae exsistentis, ideoque non sunt nisi relativa et mutabilia atque omni semper situationi adaptari queunt.

Acceptis atque ad rem deductis his principiis, dicunt atque docent homines in sua quisque conscientia non imprimis secundum leges obiectivas, sed mediante lumine illo interno individuali secundum intuitionem personalem iudicantes, quid

ipsis in praesenti situatione agendum sit, a multis conflictibus ethicis aliter insolubilibus praeservari vel facile liberari.

Multa quae in huius « Ethicae Situationis » systemate statuuntur, rei veritati sanaeque rationis dictamini contraria sunt, relativismi et modernismi vestigia produnt, a doctrina catholica per saecula tradita longe aberrant. Variis systematibus Ethicae non catholicae in non paucis assertis affinia sunt.

Quibus perpensis, ad avertendum « Novae Moralis » periculum, de quo Summus Pontifex Pius Pp. XII in Allocutionibus diebus 23 Martii et 18 Aprilis 1952 habitis locutus est[1], et ad doctrinae catholicae puritatem et securitatem tuendam, haec Suprema Sacra Congregatio Sancti Officii interdicit et prohibet hanc « Ethicae Situationis » doctrinam, quovis nomine designetur, in Universitatibus, Athenaeis, Seminariis et religiosorum formationis domibus tradi vel approbari, aut in libris, dissertationibus, acroasibus seu, ut aiunt, conferentiis, vel quocumque alio modo propagari atque defendi.

Datum Romae, ex Aedibus S. S. Congregationis S. Officii, die 2 Februarii a. 1956.

✠ I. Card. Pizzardo, Ep. Albanensis,
Secretarius

---

1 *Acta Apostolicae Sedis,* vol. XLIV (1952), p. 270 ss. et p. 413 ss.

Annotationes

DISPOSITIO MATERIAE

A. *Titulus et inscriptio* n. 1-3

B *Sex Alinea* textus originalis *Instructionis* n. 4-63

I Alinea: *Materiae tractandae synoptica delineatio* n. 4-19

1. Ethica antiqua n. 4-9
2. Ethica nova, idest Ethica situationis n. 10-19
   a) substantiae synoptica descriptio n. 10-15
   b) adiuncta secundaria Ethicae situationis n. 16-19

II Alinea: *Ethicae situationis elementum typicum* n. 20-36

1. Diagnosis differentialis n. 20-21
2. Descriptio elementi typici n. 22-27
3. Animadversiones accessoriae n. 28-36
   a) Confrontatio personalis n. 28
   b) Exsequenda conscientia concreta hominis maturi n. 29
   c) Perfectio et sinceritas vitae ethicae n. 30
   d) Immediata Dei invitatio et iussio n. 31-35
   e) Conclusio quoad Animadversiones accessorias n. 36

III Alinea: *Natura humana et lex naturalis* n. 37-47

1. Ratio, cur de natura humana agatur n. 37
2. Varii conceptus naturae humanae et legis naturalis n. 38-41
3. Animadversiones criticae ad varios conceptus naturae et legis naturalis n. 42-47

IV Alinea: *Emolumenta et fructus Ethicae situationis* n. 48-53

1. De conflictibus ethicis praecavendis et solvendis in genere n. 48
2. Exempla n. 50-52
3. De « modo quo » solvendi conflictus ethicos iuxta Ethicam obiectivam et iuxta Ethicam situationis n. 51-53

V Alinea: *Deviationes et aberrationes Ethicae situationis* n. 54-60

1. Assertiones contrariae veritati et dictamini sanae rationis n. 54-55
2. Vestigia Relativismi et Modernismi n. 56-57

Titulus et inscriptio

1. 1. Instructio edita est a S. Congr. *S. Officii,* cuius munus et competentia can. 247 § 1 describitur his verbis: « Tutatur doctrinam fidei et morum ». S. Officium habet auctoritatem doctrinalem; ideo eius decretis debetur externa et interna oboedientia; idest et « silentium obsequiosum » et ille « assensus internus » intellectus, qui dicitur « religiosus », praestitus ob motivum religiosum assistentiae Spiritus Sancti, vi cuius S. Officii decreta doctrinalia *per se* et *praesumptive* (non infallibiliter et irreformabiliter) junguntur cum veritate. — Instructio non est decretum disciplinare, licet huius quoque generis decreta hinc inde a S. Officio edantur.

2. 2. *Destinatarii* seu personae, ad quas Instructio immediate dirigitur, designantur:

a) « *Omnes Ordinarii* ». Hi in iure ita describuntur: Canon 198 § 1 « In iure nomine *Ordinarii* intelleguntur, nisi quis expresse excipiatur, praeter Romanum Pontificem, pro suo quisque territorio Episcopus residentialis, Abbas vel Praelatus *nullius,* eorumque Vicarius Generalis, Ad-

ministrator, Vicarius et Praefectus Apostolicus, itemque ii qui praedictis deficientibus interim ex iuris praescripto aut ex probatis constitutionibus succedunt in regimine, pro suis vero subditis Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis ».

b) « Magistri in Seminariis, in Athenaeis, vel in Studiorum Universitatibus docentes et Lectores in studiorum domibus Religiosorum ». Hi ergo non possunt se interim passive habere, usque dum INSTRUCTIO cum iis per ipsorum « Ordinarios » communicetur; sunt enim ipsi quoque immediati Instructionis destinatarii, qui ideo, eius in Commentario officiali « Act. Ap. Sedis » publicatione facta, directe afficiuntur et obligantur.

3. 3. *Obiectum seu materia* Instructionis significatur verbis: De « Ethica Situationis ». Hic titulus sumendus est sensu indeterminato seu nonunivoco; idest de *aliqua,* non de *una et unica* Ethica situationis; supponitur plures eius esse species; quapropter in primo alinea dicitur: systema, de quo agitur, venire nomine « *cuiusdam* » Ethicae situationis. Quae species et forma in casu intellegatur, in ulteriore textu atque tenore Instructionis circumscribitur.

Annotationes ex ordine sequuntur sex capita seu alinea quibus Instructio constat.

I. ALINEA: *Materiae tractandae synoptica delineatio.*

Duo systemata Ethicae sibi opponuntur: Ethica antiqua (tradita) - Ethica nova.

4. 1. *Ethica tradita seu antiqua.* Instructio effert: exsistere e t haberi aliquam « *doctrinam eiusque appliactionem in Ecclesia catholica traditam* »; NOTAM characteristicam eius designat verbis « *ultimatim in* « ESSE » *fundatur* »; quibus verbis innuitur: Instructionem in Ethica tradita non respicere ea quae unice in positiva Dei vel Ecclesiae voluntate fundantur, e. gr. legem fidei et gratiae supernaturalis. In Instructione agitur de sic dicto ordine et lege *naturae.*

5. Distinguitur in ETHICA TRADITA *ordo essendi* et *ordo debendi.* Quaeritur, quaenam relatio inter duos hos ordines intercedat; respondetur: ordinem debendi debere sequi ordinem essendi; quod significat: modum, quem homines in AGERE servare debent, ultimam mensuram habere τὸ « ESSE », et quidem ESSE tamquam causam *exemplarem,* cui ipsorum AGERE conformetur, et tamquam *causam finalem,* in quod AGERE dirigatur et tendat. « ESSE », ordinem « debendi » fundans atque mensurans, est primo et ultimo loco ESSE Dei, sibi ipsi exstans norma absoluta et infinitae perfectionis; exstans etiam norma ultima τοῦ ESSE creati, inprimis creaturarum rationalium, tamquam earum ultima causa tam exemplaris quam finalis. Loco et ordine subordinato norma τοῦ AGERE homini est ESSE HOMINIS, tum in se seu absolute sumpti, (idest sumpti secundum naturae humanae elementa constitutiva), tum relative sumpti, idest sumpti secundum hominis relationem: ad Deum, secundum hominis relationem ad se ipsum, idest ad ordinem, inter partes vigentem quibus natura

humana constat, (inter partem rationalem et partem animalem): secundum hominis relationem ad alios homines (singillatim et collective sumptos); secundum hominis relationem ad res materiales, in quibus mediis positus homo vivit et agit.

6. Ex « Esse », secundum varios hos aspectus sumpto, resultat et cognoscitur, quid et quomodo homo agere vel « debeat » vel « licite queat ». — Ex « Esse », sic sumpto, derivantur primo loco principia *generalia et necessaria*; derivantur dein normae, quae in *contingentibus et variabilibus* valent. Nam actiones, quae ab hominibus ponuntur, semper adnexas habent circumstantias et condiciones accidentales. Quaeritur, utrum normae ethicae quibus regitur iudicium ethicum de influxu circumstantiarum in honestatem actionis positae sint ab ESSE et ab « essendi ordine » independentes. Responderi debet: *negative.* Nam actionum particularium « adiuncta » particularia, variabilia et variantia (sive stant ex parte obiecti sive stant ex parte subiecti) semper habent determinatum « Esse »; ideo de his adiunctis in primo rationis signo dici debet quod « sunt »; in signo secundo rationis secundum hoc suum « Esse » a nobis sunt cognitae, in tertio signo normae ex eorum Esse cognito haustae, applicatae sunt ad *iudicium* de his adiunctis particularibus ferendum et ad efformandum voluntatis correspondens agendi *propositum;* tandem in signo ultimo (seu in signo exsecutionis) hae normae suam efficientiam finalem exercuerunt et effectum habuerunt. Sic « *iudicium prudentiale* » totale, quod in contingentibus vitae est ultima et

decisiva norma agendi (cum suis functionibus: « bene consiliari », « bene iudicare », « bene praecipere », « bene exsequi »), praeparatum et peractum est. Quae functiones ergo omnes dependent ab ESSE et ultimatim reducuntur ad ESSE. Iuvat de his videre st. THOMAE tractatum « de prudentia » (2-2, q. 47-56); ex quo apparet, quomodo « ESSE » et normae, ex ESSE deductae, a primo gressu usque ad ultimum — (minime neglecto axiomate « Unusquisque, prout affectus est, ita iudicat ») — iudicium ethicum actionis ponendae pervadant, et quomodo numquam et nullibi ultima et decisiva norma huius iudicii de obiectiva rectitudine et veritate ponatur personalis persuasio subiecti agentis [1].

7. In discutiendo problemate de quo agitur, numquam oblivioni dari debet essentialis differentia quae intercedit inter quaestionem *subiectivae liceitatis* et quaestionem *obiectivae honestatis*. INSTRUCTIO unice respicit quaestionem obiectivae ho-

---

[1] Mentio fieri debet alicuius obiectionis, petitae ex philosophia *valorum*. Doctrina valorum, ex pluribus decenniis vigens et etiam valores ethicos amplectens, hinc inde definitionem valoris minus accuratam urget, quasi ad « valorem » pertineret, quod valor, qui semper destinatur procreandae alicuius subiecti perfectioni possibili, convenienti, debitae, nondum sit realizatus, sed realizabilis et realizandus. Valor realizatus diceret ergo quodammodo contradictionem in adiecto; valor enim eo ipso, quod realizatur, cesset esse « valor ». Unde posset alicui videri: ESSE non posse exhibere fundamentum alicuius « valoris ethici » (seu « honestatis obiectivae » actus ponendi). Nam quod non « *est* », non potest per suum ESSE (rectius: per suum NON-ESSE) fundamentum esse ullius. A tractanda hac obiectione, petita ex doctrina valorum, hic deliberato consilio abstinetur; sufficit eius mentionem fecisse.

nestatis. Cardo ergo quaestionis in eo est: utrum necne « obiectiva honestas » ultimatim et semper habeatur ex conformitate cum ESSE obiectivo, an vero — (saltem etiam) — ex conformitate cum subiectiva persuasione; insuper, utrum necne huius obiectivae honestatis cognitio ex parte hominis ultimatim semper habeatur ex huius cum ESSE OBIECTIVO conformitatis notitia.

8. De altera quaestione « subiectivae liceitatis », necnon de illi adnexa quaestione, quo modo apparens inter duas assertiones contradictio solvatur, quarum altera statuit: ordini obiectivo conforme esse, ab homine poni posse (vel etiam debere) actum in se quidem malum, quem tamen homo *ex conscientia invincibiliter erronea,* certo iudicat honestum, sibi licitum, imo forte obligatorium; et assertio altera quae urget: eundem actum (quippe qui ordini recto est contrarius) hoc ordine absolute vetari. Difficultatem hanc et contradictionem non solvi quoad rem obvia distinctione: « per se » et « per accidens », non est, cur ulterius exponatur. Quae de hoc problemate dicenda occurrunt, inveniri possunt in hoc folio periodico anni 1953, pag. 240; item in « Analecta Gregoriana », Vol. 68. Roma. 1954, Università Gregoriana, pag. 398/399, ubi eadem fusius exponuntur.

9. Quidam ex communi de conscientia invincibiliter erronea theologorum doctrina deducere conati sunt: ultimatim et coram Deo *obiectivam honestatem* (non tantum subiectivam « liceitatem ») agendi semper et unice haberi ex subiectiva

uniuscuiusque conscientia, serio et sincere efformata atque exsecutioni mandata; minime autem ex servata conformitate cum ordine ethico obiectivo, in se sumpto [2]. Contra hanc conscientiae subiectivae tamquam ultimae et decisivae normae honestatis obiectivae absolutam praerogativam, S. Officii INSTRUCTIO, de qua nunc sermo est, pugnat.

---

[2] Hic mentio fieri debet alicuius *falsae interpretationis doctrinae st. Thomae.* Sunt enim qui dixerint: nervum et nucleum Ethicae situationis iam inveniri in Sum. Theol. st. Thomae, qui ingeniosa intuitione statuerit *duplex verum,* alterum intellectus speculativi, quod accipitur per conformitatem intellectus ad rem; alterum intellectus practici, quod accipitur per conformitatem intellectus (practici) ad appetitum rectum, (sf. Sum. theol., 1-2, q. 57 a. 5, ad 3). Honestatem obiectivam autem constitui per conformitatem actus positi ad appetitum rectum, quidquid est de conformitate eiusdem actus ad rem, idest ad ordinem ethicum per ESSE mensuratum. Ex eadem consideratione (ita illi) intellegi, cur st. Thomas omne iudicium prudentiale habuerit « infallibiliter verum »; nam iudicium de honestate actus, latum secundum conformitatem ad appetitum rectum, si appetitus in hoc homine quoad hunc actum est rectus, non potest discrepare a « veritate », idest a vero intellectus practici, (etsi forte maxime discrepat a vero intellectus speculativi). Asserunt: talem considerandi et pensandi modum solis terminis, non autem re differre a modo sentiendi et argumentandi Ethicae situationis, quae internam et individualem hominis individualis dispositionem asserat criterium ultimum ac decisivum actionis ponendae.

Qui ita ita argumentantur, non attendunt « verum intellectus practici » apud st. Thomam ultimatim reduci ad « verum intellectus speculativi »; nam appetitus tunc tantum est recte compositus, si componitur secundum principia ordinis ethici speculative vera, quae mensuram sumunt ex ordine ethico obiectivo, idest fundato in « ESSE », et non in « OPINARI » et « VELLE ». — Plura de hac quaestione vide in modo allegatis « Analecta Gregoriana », pg. 396 sqq.

2. *Ethica nova* (seu Ethica situationis).

10. Ethica situationis in INSTRUCTIONE sub vario respectu consideratur: *a*) in sua relatione ad Ethicam antiquam; *b*) in se ipsa seu in suo elemento constitutivo; *c*) in sua relatione ad « naturam humanam » et ad « legem naturae »; *d*) tandem in assertis suis emolumentis et fructibus.

Ethicae situationis relatio ad Ethicam antiquam primo generica quadam observatione in capite primo denotatur, accuratius haec relatio autem in capitibus subsequentibus circumscribitur. Alinea secundum est de elemento typico constitutivo; alinea tertium de relatione Ethicae situationis ad conceptum « naturae humanae » et ad momentum et pondus « legis naturae »; quartum alinea effert systematis assertum fructum salutiferum et emolumenta.

11. Quod spectat *relationem ad Ethicam antiquam,* in INSTRUCTIONE primo notatur: Ethicam Situationis ei « *opponi* ». Dicitur enim « *Contra doctrinam moralem eiusque applicationem in Ecclesia catholica traditam ... spargi coepit* ». Systema vero, quod « contra » aliud systema spargitur, ei (sive ex toto sive ex parte) opponitur.

12. Additur dein NOTA altera, qua Ethica situationis ab Ethica tradita differt; quae NOTA designatur verbis: « *quamque dicunt non dependere a principiis ethicae obiectivae* ». Horum verborum sensus in subsequentibus INSTRUCTIONIS capitibus describitur. Usui hic venit interpretationis

regula, exhibita in canone 18: « Leges ecclesiasticae intellegendae sunt secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam ». Attendi ergo debet contextus atque cohaerentia tum ipsius systematis Ethicae situationis, tum praesentis de hoc systemate INSTRUCTIONIS.

In prima linea capitis secundi legitur: « *Auctores qui hoc systema sequuntur decisivam et ultimam agendi normam statuunt, non esse ordinem obiectivum rectum, naturae lege determinatum et ex hac lege certo cognitum* ». Quibus verbis Instructionis auctoribus non imputatur, quod ordinem obiectivum negent aut ei valorem obiectivum non tribuant; sed quod statuant: legibus ordinis obiectivi non competere functionem « ultimae et decisivae » normae agendi, qua norma in casu individuali hominis individualis quoad situationem individualem decidatur, quid ei agendum sit. Neque de his auctoribus asseritur: eos legibus ordinis obiectivi nullum concedere influxum in iudicium ultimo-practicum; (concedunt enim has leges influere posse et influere). Item cum his auctoribus agendum non est de applicandis ordinis obiectivi principiis (utique suppositis supponendis) de excusatione, de epikia, de dispensatione, de exemptione a legis applicatione ob deficiens aliquod applicationis elementum praerequisitum; quae omnia in utraque Ethica admittuntur et docentur. Vitio autem vertitur his auctoribus, quod ordinem obiectivum rectum nolint admittere *normam ultimam et decisivam* etiam in casibus legis naturalis negativae, absolute actionem vetantis, (vetantis sive

ob intrinsecam actus corruptionem, sive ob absolutum defectum iuris in agente, sive ob aliam rationem indispensabiliter interdicentem). Omnes e. gr. consentiunt: in ordinariis circumstantiis directum suicidium, directam procurationem abortus, formalem Onanismum coniugalem (et plura similia) esse ordini obiectivo contraria; at defensores Ethicae situationis censent: hanc generalem regulam non necessario et semper habere rationem « *normae ultimae et decisivae* » agendi; hominem, in concreta quadam situatione positum interno visu percipere posse — (ergo: non ex sola conscientia invincibiliter erronea, bona fide efformata, posse iudicare) — in hac situatione individuali directum suicidium, directam procurationem abortus, formalem Onanismum coniugalem *in se honestum* esse, quidquid sit in hoc casu peculiari de ordine obiectivo ethicae obiectivae absolute contradicentis.

13. Ex dictis elucet: defensores Ethicae situationis, cum dicunt eam « non pendere a principiis ethicae obiectivae », dicere velle: eam ab his principiis non dependere tamquam a « *decisiva et ultima agendi norma* », in omni individuali situatione, non autem: eam *nullatenus* ab illa esse dependentem.

In idem redit altera eorundem defensorum assertio, (quae in Instructione quasi immediate priori adnectitur et ita sonat): « Igitur hominis ultima decisio secundum eos non est, sicut ethica obiectiva apud auctores maioris momenti tradita docet, legis obiectivae ad particularem casum ap-

plicatio ». His enim verbis defensores illi non negant ipsas leges ethicae obiectivae; negant solummodo: *ultimam* hominis decisionem fieri per *solam* legis obiectivae applicationem ad causam particularem.

Tandem in eodem capite secundo de his fautoribus dicitur: secundum ipsos individuale iudicium personale, (in quo ponunt decisivam et ultimam agendi normam) « saltem multis in rebus ultimatim nulla norma obiectiva ... mensurari ». Si dicunt: in « multis » non mensurari, admittunt *in aliquibus* mensurari; si negant: ordinarie mensurari « ultimatim », admittunt: mensurari praevie et praesumptive, et extraordinarie mensurari etiam *ultimatim* per normam onticam ordinis recti obiectivi. — In capite tertio magis in particulari significatur, in quibusnam casibus illi defensores parati sint admittere ethicam obiectivam tamquam *normam decisivam ultimam,* scl. « in illis paucis elementis et principiis quae ad naturam humanam metaphysicam (absolutam et immutabilem) spectant ».

Haec sufficiant, ut ex ipsorum fautorum Ethicae situationis ore discatur sensus assertionis eorum generalis: « Ethicam situationis non dependere a principiis ethicae obiectivae ». Ab eis alienum est: generalia Ethicae obiectivae principia (decalogum et huiusmodi alia plura), quae communiter ab omnibus hominibus seriae mentis et timoratae conscientiae tenentur, simpliciter negare vel neglegenda dicere; sed intendunt horum principiorum in multis valorem absolutum infringere vel restringere, altiorique principio subordinare.

14. Ipsa quoque S. Officii INSTRUCTIO, quod attinet relationem Ethicae situationis ad Ethicam obiectivam, pronuntiare videtur affine iudicium de defensoribus Ethicae situationis, quod attinet ad retentionem (saltem partialem) principiorum Ethicae obiectivae. Ex eo enim, quod INSTRUCTIO dicit: novum systema Ethicae situationis etiam inter « catholicos » habere defensores atque fautores, cum inter ipsos quoque spargi coeptum sit; et quod eos nihilominus habet et dicit « catholicos », innuit: eos non reicere vel in dubium vocare principia ethicae obiectivae; nam, iis negatis, cessarent esse catholici. Praeterea. INSTRUCTIO dicit: in Ethica situationis latere *periculum* « MORALIS NOVAE », habere « *vestigia* Relativismi, Modernismi », assumpta esse varia quae « systematibus Ethicae non-catholicae sunt *affinia* ». At, si Ethica situationis omnibus valediceret principiis ethicae obiectivae, esset peior omni ETHICA NOVA, excederet omnem Relativismum et Modernismum; esset systema peius plurimis systematibus ethicis paganorum.

15. CONCLUSIO. Ex iis quae hucusque de defensoribus Ethicae situationis ex INSTRUCTIONE eruta sunt, concludendum videtur: agi de viris seriis, qui serio, sincere atque timorata conscientia in quaestiones et problemata ethica inquirunt, ea penitius penetrare, promovere, mentalitati hodiernae adaptare desiderant, elaborant, atque enituntur; non autem agi de auctoribus, qui cuidam libertinismo ethico vel larvato laxismo aditum aperire velint.

ADIUNCTA Ethicae situationis.

In primo capite praeter nominata elementa maioris momenti memorantur plura *adiuncta secundaria;* quorum breviter mentio fiat.

16. *Valor et meritum* novo systemati tributum. De novo systemate dicitur: « non solum in eadem linea poni cum ethica obiectiva, sed eidem superordinari ». Ratio est: quia omnia bona, quae in ethica obiectiva habentur, inveniuntur etiam in ethica situationis; in qua superadditur autem eius elementum typicum, eiusdem exclusive proprium, quo ethica obiectiva caret.

17. *Aetas et origo.* Ethica situationis est recentis temporis; ideo non antiquata, sed menti et exigentiis hodierni temporis adaptata; in dies crescit. Mens huius temporis habet aliquid Exsistentialismi, Immanentismi, Relativismi; ex qua mentalitate intellegitur, cur quibusdam huius temporis hominibus arrideat placeatque systema Ethicae situationis. — Qui hodie problematibus ethicis se dare volunt, ad problemata et asserta ethicae situationis mentem applicare debent.

18. *Asseclarum numerus, coetus, dignitas.* Dicit INSTRUCTIO: « Multis in regionibus spargi coepit ». Ethica situationis inter catholicos notitiam prodit etiam systematum ethicorum, quae vigent apud non-catholicos; non est ergo inclusa inter arctos limites cuiusdam « Ghetto ». — Ethicae situationis asseclarum quidam integrum systema assumunt, alii non nisi partem; idest plura vel pauciora elementa particularia.

INSTRUCTIO *nomina* nec personarum nec librorum affert, contenta est afferre *rem,* de qua agere et quam reprobare vult. Sic personarum famae parcit atque praecavet litem secus inevitabilem de « mente auctoris ». Experientia enim teste vix ullus liber, articulus, sermo proscribitur, quin statim resonet clamor: verba et mentem auctoris esse falso intellecta.

Actualis condicio (quoad numerum, qualitatem, influxum asseclarum Ethicae situationis) recentissime a Directore notissimi cuiusdam in circulis academicis sparsi folii periodici his significata est verbis: « In aulis academicis et in scientificis publicationibus dominatur (tam in docentibus quam in audientibus atque legentibus) " ETHICA SITUATIONIS "; ethica obiectiva in dies magis magisque obsolescit ».

19. Novi systematis *nomen ac titulus.*

In INSTRUCTIONE quoad novi systematis nomen notantur: « plerumque nomine cuiusdam " Ethicae Situationis " venit »; et in ultimo INSTRUCTIONIS capite quoad idem systema legitur: illud reprobari, « quovis nomine designetur ». Quibus phrasibus sufficienter significatur: vocem « ETHICAE SITUATIONIS » nondum esse terminum technicum sensu omnino circumscripto et univoco. Variae hodie sunt « Ethicae situationis » species vel quasi-species; de quanam earum in casu particulari agatur, ex sola voce et nomine diudicari nequit; inquiri debet in *rem,* quae in particulari casu hoc nomine veniat. Ideo S. Officium « *rem* » systematis, de quo agit Instructio, quoad elemen-

ta substantialia delineat. — De cetero sunt auctores et systemata, quae et rem delineatam tenent et eam voce ETHICAE SITUATIONIS denominant; sunt alia et alii, qui rem habent, terminum autem evitant; sunt denique alii, qui nomen sibi vindicant, sed sub hoc nomine rem omnino diversam proponunt. Ita e. gr. sunt, qui Ethicam, quae urget: non solum principia generalia, sed concretas etiam circumstantias (subiecti et obiecti) in iudicio ethico ultimo-practico ferendo attendi debere, vocant ETHICAM SITUATIONIS. Sic intellecta, omnis vera Ethica, atque etiam ETHICA OBIECTIVA, est ETHICA SITUATIONIS.

Nomina et tituli, qui hinc inde adhibentur ad velanda et obtegenda systemata, quae revera (sive ex toto sive ex parte) propagant reprobatam « Ethicam situationis », designari possunt e. gr. « Ethica spiritus », in oppositione ad ethicam « litterae », secundum illud Apostoli: « littera occidit, spiritus vivificat », (2. Cor. III, 6); vel « *Ethica libertatis* », in oppositione ad Ethicam « servitutis », (cf. Epistulam ad Galatas); vel « *Ethica personae* » seu subiecti, in oppositione ad Ethicam « rei » vel « obiecti »; vel « *Ethica exsistentialis* » et concreta, in oppositione ad Ethicam « essentialem », « abstractam », « metaphysicam », seu τοῦ ESSE. — At semper prae oculis haberi debet: ex solis huiusmodi terminis et vocibus nihil omnino derivari posse; nam omnia haec nomina adhiberi etiam possunt et adhibentur ad denominanda systemata ethica, contra quae nihil omnino monendum est. Hinc, neglecto nomine, *in rem* inquiri debet et *ex re* iudicium ferendum est.

II. Alinea: *Ethicae situationis reprobatae elementum typicum et constitutivum.*

Data in I. Capite synoptica delineatione, Instructio in II. Capite transit ad exponendam novi systematis Notam characteristicam et constitutivam.

20. 1. *Diagnosis differentialis.* Cardo rei est in designanda « decisiva et ultima agendi norma » quoad situationem actualem et individualem, in qua homo est positus; qua scl. norma homini decisive et ultimatim innotescit, quid sibi agendum sit.

Ad « statum quaestionis » recte circumscribendum, hoc moneri debet. Quoties homo in vita sua deliberato consilio ad agendum transit, agitur semper de huius hominis individualis actione individuali, exercenda in contingentibus his individualibus obiecti et subiecti adiunctis et circumstantiis, quae ex nullo principio generali et metaphysico deduci possunt. Illo momento decisionis ultimae multa mentem hominis intrare possunt et de facto intrant. Quaeritur, num natura illo momento suppeditet et suppeditaverit homini aliquod medium et criterium, ex quo individualem suam decisionem tuto desumere queat atque desumat. Quoad hanc quaestionem oportet *diagnosim differentialem* instituere, quae in Instructione insinuatur; aliter enim quoad hoc elementum procedit Ethica obiectiva; aliter Ethica situationis.

21. *Ethica obiectiva* medium et criterium ultimae finalisque decisionis dicit esse: « *ordinem ob-*

iectivum rectum, naturae lege determinatum et ex hac lege certo cognitum », vel, (ut eandem rem INSTRUCTIO aliis verbis effert), « *Hominis ultima decisio est, sicut Ethica obiectiva apud auctores maioris momenti tradita docet, legis obiectivae ad particularem casum applicatio, attentis simul ac ponderatis, secundum leges prudentiae, particularibus " situationis " adiunctis* ». Ergo ethica obiectiva ad ultimam decisionem venit recurrendo (quoad substantiam et quoad circumstantias actus ponendi) ad ordinem obiectivum, ultimatim τῷ ESSE determinatum; in sua rectitudine independentem a personali subiecti agentis persuasione. Utitur ergo tamquam ultima « *mensura* » rectitudinis ordine τοῦ ESSE.

22. Non ita procedit *Ethica situationis*, de qua discimus ex INSTRUCTIONE; quod secundum eius defensores et fautores « *hominis ultima norma decisiva* non est legis obiectivae ad particularem casum applicatio ». Aliis verbis: secundum Ethicam situationis in ultima norma sibi stabilienda homo non « orientatur » obiective et ontice; orientatur psychice et personaliter, ex principio individuali immanenti, insito ac innato naturae individui actionem posituri. Quod « principium individuale » in INSTRUCTIONE bis accurate describitur. « *Est intimum aliquod mentis uniuscuiusque individui iudicium ac lumen, quo ei in concreta situatione posito, innotescit quid sibi agendum sit* ». Et paulo post Instructio eandem rem ita delineat: « *Hominis ultima decisio est immediatum illud internum lumen et iudicium* »; statimque ad-

iungit eiusdem magis ad particularia descendentem descriptionem: « *Hoc iudicium saltem in multis rebus ultimatim nulla norma obiectiva, extra hominem posita atque ab eius persuasione subiectiva independente, quoad suam obiectivam rectitudinem et veritatem est mensuratum, neque mensurandum neque mensurabile; sed sibi ipse plene sufficit* ».

23. Duo ergo de hoc interno individuali lumine et visu efferuntur; unum respicit relationem ad extra, alterum relationem ad intra.

Relatio ad extra. Quoad obiectivam rectitudinem ac veritatem ethicam iudicii ferendi non recurritur vel reflectitur ad ullum elementum (principium aliquod, regulam, experientiam, etc.) *extrinsecum,* quod inserviat tamquam mensura mensurans rectitudinem actionis ponendae. Potest quidem esse, quod in deliberationibus decisionem definitivam *antecedentibus* mens agentis etiam ad principia moralia ethicae obiectivae attenderit et reflexerit; at, quando homo nunc transit ad efformandum iudicium ultimum ac decisivum, illa principia obiectiva *ut talia* — (etsi in se minime negantur vel in dubium vocantur) — saltem multis in rebus non intrant in stabiliendam decisionem ultimam de obiectiva honestate actus ponendi; esse enim potest, quod hic actus in hac situatione individuali ab his principiis eximatur.

24. *Relatio ad intra.* Quid est illud lumen internum individuale? In profundo animae et mentis uniuscuiusque individui habetur innata aliqua

habitualis dispositio atque potentia, ad instar alicuius luminis, adaptati individuali indoli, totam personam uniuscuiusque pervadenti, qua homo capax redditur ad videndum, quid in linea ordinis ethici suae personalitati individuali sit « conforme ». Haec « conformitas » actus ponendi cum *huius* personae natura dein non « infertur », « deducitur », « eruitur » ex confrontatione cum aliqua huic naturae extrinseca mensura, exhibente obiectivam rectitudinem alicuius ordinis ethici, positi extra personam agentis; sed haec ethica conformitas cum individuali agentis personalitate immediate « videtur », atque in suo ultimatim decisivo valore huic homini, in se ipsum introspicienti et intuenti, in se et ex se innotescit.

Huius iudicii et visus interni *obiectum immediatum et immediata materia* est individualis actus ponendi « *obiectiva honestas* » (seu eius rectitudo ethica); non primo et imprimis actus ponendi « *subiectiva liceitas* ». Praeterea hoc iudicium non habet rationem alicuius « generalis principii », quo deinceps hic homo in casibus similibus utatur; est singulis vicibus actualis et momentaneus ictus ac visus oculi interni in hac situatione individuali, et non nisi pro ea. *In* subsequenti alia individuali situatione et *pro* alia situatione individuali alius individualis ictus ac visus locum habebit.

25. Quod si de *intrinseca huius normae indole* quaeritur, qua ultima haec et decisiva functio regitur: haec norma non est nec esse potest hominis individui *mensura extrinseca,* sed debet

esse *immanens,* idest lex in memorata individui potentia recondita, quae in se habeat suam mensuram, non mensuratam, nec mensurandam nec mensurabilem per quodcumque criterium, eidem extrinsecum. Nam id quod « totum » et « ex toto » est personalitati individuali intrinsecum, et usque ad ultima adaptatum, non potest habere normam determinantem eidem personalitati extrinsecam, atque ab hac personalitate intrinsecus independentem; necessario et ex postulato naturae sibi ipsi est norma, eaque plene sufficiens.

26. Essentialis igitur et maxime fundamentalis habetur *differentia* inter duo haec Ethicae systemata, quod attinet ad ultimam illam et decisivam functionem stabiliendi *honestatem obiectivam* actus ponendi; essentialis diversitas etiam quando in particulari casu et in situatione individuali iudicium illum ultimum, secundum uniuscuiusque Ethicae systema efformatum, materialiter est idem atque idem enuntiat. Nam in Ethica obiectiva hoc iudicium est mensuratum mensura iudicio extrinseca, ultimatim ontica, a dispositione et persuasione personae agentis in suo valore independens. — In reprobata Ethica situationis e contra iudicium, quoad rem materialiter idem, est mensuratum subiective, personaliter, immanenter, ultimatim independens a qualibet mensura, qua quoad suam obiectivam rectitudinem et veritatem sit mensuratum aut mensurandum aut saltem mensurabile.

27. Ex considerationibus factis apparet, cur non sit obloquendum, si passim homines loquuntur

de « *innato instinctu et sensu morali* ». Nam ita loquentes nihil efferre intendunt neque efferunt, nisi *factum obvium*: homines ex indole et impulsu naturae de suis actibus efformare et habere dictamen conscientiae; nihil tamen, ita loquentes, intendunt stabilire de huius dictaminis conscientiae ultima structura, de valoris eius obiectivi ultima mensura atque criterio. — Multum autem obloquendum esset, si homines docere et propagare praetenderent atque praesumerent: hunc sic dictum « instinctum et sensum moralem », a natura inditum, nulli criterio et mensurae ulteriori subesse quoad obiectivam eius rectitudinem, subesse soli uniuscuiusque sincerae persuasioni personali, eamque habere rectitudinis obiectivae irrefragabile autotestimonium, rectitudinem plene evincens.

ANIMADVERSIONES ACCESSORIAE

28. 1. *Confrontatio personalis.*

Sunt qui urgeant in ultima conscientiae decisione semper fieri *confrontationem inter duas personas*, scl. personam Dei et personam hominis; non autem confrontationem inter personam quidem hominis, et « *rem* » scilicet legis litteram mortuam vel iuris paragraphum. Modus concipiendi « confrontationis personalis » videtur praeferendus, prout pluries monuit ipse Summus Pontifex Pius XII, ultima vice in duabus amplis Allocutionibus d. d. 5 Decembris 1954 et 6 Februarii 1955 (cf. AAS., 47 [1955] p. 60-71; 72-85).

In tali casu « *hunc actum poni* » (idest « positio actus ») est et dici potest: esse vero quodam sensu « *obiective honestum* », ideo etiam admitti posse assertionem, quod conscientia invicibiliter erronea versetur circa actus « obiectivam honestatem », atque eam efficere. Est enim « obiective honestum »: hominem sequi suam conscientiam certam (etsi erroneam). — At dici et admitti non potest: in tali casu actum, si sumitur secundum sua elementa con-

stitutiva, quoad haec elementa per conscientiam invincibiliter erroneam transformari in actum conformem ordini recto. Haec enim elementa, in se sumpta, retinent totam suam discrepantiam et difformitatem a recto ordine. — Aliqui hunc diversum aspectum actus (qui actus est *unus* et *idem*) significare conantur hac formula simplici: in casu conscientiae invincibiliter erroneae distingui debere « *positionem actus* » et « *actum positum* »; sub primo aspectu actionem esse obiective honestam, sub altero obiective inhonestam. De « formula » ut tali non videtur ulterius discutiendum; eius admissio aut reiectio pendet a sensu qui ei tribuitur (cf. supra n. 8 in fine).

At haec consideratio nil habet commune cum quaestione, quaenam « norma » in his discussionibus colloquioque personali adhibeatur; et quidem tamquam norma dignoscendae rectitudinis obiectivae: norma obiectivi ordinis recti, an norma subiectivae persuasionis duarum personarum inter se agentium.

29. 2. *Exsequenda conscientia concreta hominis maturi.*

In favorem reprobatae Ethicae situationis argumentum evincens urgere conantur quasi quotidianam vitae experientiam. Huius temporis viri, qui ut adulti (non ut pupilli sub parentibus et tutoribus positi) tractari volunt, ipsi sibi in concretis vitae situationibus iudicium actionis ponendae efformare volunt et debent; ipsi soli (praeter Deum) habent notitiam omnium circumstantiarum influentium; ipsi soli eas, debita adiunctorum ratione habita, ponderare possunt. Principiorum generalium autem ordinis ethici accuratam notitiam generatim non habent; multo minus capaces sunt ex his principiis per modum alicuius syllogismi (licet imperfecti et abbreviati) consequentias pro situatione concreta deducere. Ideo contenti esse debent et contenti sunt: sibi personaliter persuasum esse, id quod acturi sunt, esse honestum et rectum.

Argumentatio haec non valet; non enim quaeritur, quidnam et cur subiecto agenti « in se honestum » appareat, sed quidnam obiective et cur « in se honestum *sit* ». Ethica situationis statuit enim: homini individuali, in situatione individuali posito, « obiective honestum statui et esse », quod et quia, intuitivo illo iudicio, sibi honestum videat et iudicet.

Praeterea in hac argumentatione plura negleguntur et confunduntur. De « ESSE » et de « ordine essendi » non dantur solummodo *iudicia illativa* (inductiva vel deductiva), sed etiam *iudicia primitiva vel intuitiva*. Ita e. gr. iudicia immediata (nullo modo « illativa ») conscientiae psychologicae (e. gr. me nunc co-

gitare, velle, timore affici, etc. etc.), quae sunt de praesentibus « factis internis », sunt « vera » et habent « valorem obiectivum » conformitatis cum ordine essendi, non quia *personaliter putantur* habere hunc valorem, sed quia immediate *sciuntur et videntur* esse ordinis obiectivi expressiones, a subiectiva subiecti iudicantis persuasione in suo valore omnino independentes. — Multa praeterea sunt alia iudicia, quae dicuntur « directa » (in oppositione ad « reflexa »), utraque de conformitate iudicii cum ordine essendi; illa denotant solummodo *factum* talis conformitatis, alia praeter factum exhibent etiam *motiva et criteria* assertae illius conformitatis. Huc spectant e. gr. sic dicta « iudicia tactus », in quibus homo iudicat de eorum rectitudine vi alicuius notitiae habitualis, cuius tamen rationes (saltem pro momento) dare non potest. — Ita, si quis interrogatur, num determinata phrasis correspondeat indoli et spiritui alicuius linguae, quam bene novit. Saepe sine ulla haesitatione respondet vel AFFIRMATIVE vel NEGATIVE; si vero ulterius interrogatur de « ratione cur », non raro profiteri cogitur, se rationem assignare non posse; nihilominus se de facto esse certum. Sic haberi possunt etiam ethica « iudicia tactus » de *facto* valoris obiectivi ethici, quin, qui iudicat, motiva et criteria distincte assignare queat. Non est, cur tale quid negetur. At talia « iudicia ethica tactus » non asseruntur vera, quia subiective « putantur » vera, prout secundum fundamentale Ethicae situationis principium stabiliri deberet, sed dicuntur vera et habentur vera, quia de eorum cum *ordine ontico obiectivo conformitate* habetur iudicium « primitivum seu intuitivum », (non illativum). Censentur haec iudicia « tactus ethici » norma actionis ponendae legitima, quia quoad suum valorem obiectivum a personali persuasione subiecti iudicantis independens, mensurabilis, mensuranda et mensurata; (non via inquisitionis syllogisticae, sed via apprehensionis primitivae).

30. 3. *Perfectio et sinceritas vitae ethicae.*

Tradita Ethica obiectiva (secundum defensores Ethicae situationis) adnexam habet Moralistarum et fidelium astutam saepe casuisticam; qua applicata, homines credunt: se vitae religiosae atque ascesi christianae satisfacere, si satisfaciunt paragraphis et interpretationibus casuisticis; minus solliciti de ultima suae mentis sinceritate et notitia. Posito autem (tamquam norma ultima et decisiva), intuitu illo ac visu personali et individuali mentis, homo conscius sibi fit de plena sua coram Deo responsabilitate, quod attinet ad huius iudicii intuitivi exsecutionem, quidquid est de usu casuisticae illius astutiae, quae bene scit litterae limitem servare

et excessum strictae obligationis evitare. Est autem Ethica situationis, quae ad hanc vitae religiosae et christianae severitatem facit hominem attendere; et longe a veritate et a Ethicae situationis scientia aberrant, qui eam totam in eo esse dicunt, ut vitae moralis perfectionem et severitatem, (quae ex severis ethicae obiectivae principiis resultat) mitiget atque evitare doceat.

Verum est: Ethicae situationis iudicium internum illud, personale et individuale, si comparatur cum iudicio efformato normis onticis ethicae obiectivae, ab his differre posse et maiore severitate et maiore lenitate; inservire igitur posse — (quasi ex aequo) — alicui rigorismo (Jansenismo, Puritanismo, Tutiorismo absoluto, etc.) — et alicui libertinismo (laxismo, humanismo pagano, mere externae legalitati sociali). At hac iusta et recta observatione non tangitur neque solvitur quaestio de qua hic agitur, scl. quaestio de *obiectivo valore* et de *obiectiva honestate* actionis individualis secundum criterium et lumen internum, ab Ethica situationis assertum stabilita, utrum scl., haec actio obiectiva *sit in se honesta,* an solummodo subiective *asseratur et conspiciatur honesta,* in splendore et in virtute assertae illius lucis per sonalis internae. Quod si dicunt: illud iudicium intuitivum manifestare se in se ipso tamquam « vocem Dei », sive ultra legem generalem « *obligatorie vocantis* », sive *exemptionem* a lege generali « *inspirantis* »; et hoc modo ipsum Deum attestari obiectivam honestatem actionis ponendae; hominem vero in illo iudicio intuitivo immediate videre hanc attestationem divinam: desideratur argumentum, quo ostendant: dictum iudicium intuitivum revera non exhibere solummodo subiectivam evidentiam atque persuasionem personalem talis Dei testimonii, sed *ipsum hoc Dei testimonium,* idest testimonium, quod *criteriis obiectivis,* a subiectiva evidentia et persuasione independentibus, est mensurabile et mensuratum, tum quoad factum assertae enuntiationis divinae, tum quoad rem enuntiatam. Tale argumentum non exhibetur neque exsistit, sed repetitis vicibus constanter asseritur.

Veritatis autem et Ecclesiae interest: iudicium de actionis ponendae obiectiva honestate criteriis obiectivis in tuto collocari, et sciri: eam in tuto esse et manere collocatum.

31. *Immediata Dei invitatio et iussio*

Insufficientiam systematis Ethicae obiectivae, sufficientiam autem et praevalentiam Ethicae situationis defensores huius systematis patere asseverant etiam ex doctrina et usu in directione

conscientiarum communiter receptis, quod attinet ad tam frequentes *Dei invitationes et iussiones,* homini individuali, in individuali situatione posito, exclusive datis pro ipsa hac situatione. De facto talium invitationum et iussionum non posse ullum dubium moveri censent esse sententiam communem (cf. e. gr. 1. Cor. IX, 16). Censent insuper: ex nullius principii generalis ad casum particularem applicatione constare posse sive de genuinitate sive de valore obiectivo talium Dei invitationum; sed homini ea exclusive immediato illo « visu » ac « intuitivo iudicio » innotescere, tum quoad factum et sensum, tum quoad valorem locutionis Dei. Idem asserendum esse censent de usu *regularum discretionis spirituum,* quae in communi usu vitae asceticae inveniuntur; earum: factum, sensum, scopum in particulari casu non « inferri », non « deduci », sed immediate « perspici » tamquam Dei invitationem (aut etiam dissuasionem) atque ut talem « dignosci ». — Adduntur ab iis alia plura similia phaenomena individualis vitae religiosae. Quid respondendum?

32. Etiam hic manifesta fit reprobatae Ethicae situationis congenita ambiguitas atque duplicitas elastica, vi cuius uno halitu « affirmare » et « negare » valet. — Sane sunt regulae « discretionis spirituum », quae non syllogistica forma applicantur; sunt regulae « consiliationis atque directionis spiritualis », quae usu veniunt in colloquio ac consultatione, quam quis habet cum suo Confessario vel Directore spirituali; ambo hac occasione non solent inter se « syllogizare ». — Sunt dein multiplices « experientiae mysticae », quae sunt extra ordinarias experientias pietatis christianae et extra communia principia inibi adhiberi solita. — Immo etiam in vita ordinaria religiosa, in simplici vita fidelium, occurrunt « situationes », quae versantur extra usitatas normas obiectivas securas et tutas ordinariae viae ac vitae, de quibus « situationibus » homo individualis ipse iudicare debet. Propter has communis viae « situationes » extraordinarias st. Thomas in Sum. theol. lectorem attentum reddit: inter partes prudentiae, ei adnexas tamquam virtutes potentiales, esse (praeter « synesim ») etiam « gnomen », tamquam « *virtutem altiorem judicativam* », quae « *iudicat secundum altiora principia* » et importat quandam « perspicacitatem iudicii » (2-2. q. II. a. 4). Situationes ergo extraordinariae nil novi sunt in theologia morali, neque indigent novo systemate. Tota secunda pars Summae Theologicae st. Thomae dici debet documentum classicum in Ecclesia catholica traditae Ethicae obiectivae, eiusque sufficientiae, experimento saeculorum probatae.

33. Quod nunc attinet *ad exempla,* a defensoribus Ethicae situationis allata, haec aut versantur extra statum quaestionis, aut laborant vitio quod dicitur « ignorantia elenchi ». Quaestio enim, quae nunc agitur, non est, utrum necne habeantur « individualia iudicia interna de concreta situatione »; sed, quaenam sit et undenam sit horum iudiciorum « *garantia* » *atque assecuratio* valoris obiectivi, (idest garantia: ea esse conformia ordini morali, prout est in se). Si defensores Ethicae situationis contendunt: argumentum talis obiectivi valoris esse ipsum et merum factum « praesentiae » intuitionis internae et ipsum factum evidentis ac firmae persuasionis subiectivae, stant quidem suo systemati, sed designat factum ac criterium, quod in se non habet ullam vim qua *destinguatur* veritas ab errore, neque ullam habet vim *significativam* connexionis, quae intercedat inter ipsam persuasionem et realitatem veritatemque ordinis obiectivi. Multiplici enim experientia scitur, toties occurrere huiusmodi intuitionem et evidentiam individualem extra campum realitatis, veritatis, honestatis obiectivae. — Hoc igitur Ethicae situationis assertum, si serio profertur, nec argumentum est nec obstantium obiectionum est solutio ulla. Si autem defensores arguunt: merum factum praesentiae istius visionis internae et merum factum evidentiae subiectivae ab ipsis non statui sufficentes ad praestandam « garantiam » obiectivi valoris ac rectitudinis, sed illam intuitionem internam indigere aliqua ulteriore mensura, a persuasione et evidentia subiecti intuentis independente, quae mensura, (ipsa firmiter nexa cum ordine recto) accedere et applicari debeat ad iudicium visivum individuale, et tandem haec duo simul sumpta dare « garantiam et assecurationem » obiectivi valoris ethici, tandem aliquando relinquunt emphatice positam « ultimam et decisivam normam rectitudinis », propriam Ethicae situationis, et recurrunt (supplementorie saltem) ad methodum, propriam Ethicae obiecticae onticae; quippe quae ultimatim semper recurrit ad obiectivum « ESSE » et numquam est contenta subiectivo « APPARERE ». Ethicae obiectivae autem doctrina et usus vitae in directione animarum usitata (ad quam directionem obicientes provocant) ideo via appellandi ad normam obiectivam utitur, quia persuasum habet, hac methodo sola ad certitudinem posse perveniri de via recta in praeterito ab alio (scl. ab « interrogante ») electa, aut de via huic alteri (pro futuro) suggerenda. — Regulae dein « discretionis spirituum » ideo ab omnibus admittuntur, quia cognoscuntur, ultimatim fluere ex « ESSE » spirituum, quod tandem aliquando per eorum modum agendi se prodit; aut (relate scl. ad aliud genus regularum discretionis), quia hae regulae leges *psychologicas* exhibent quae ultima-

tim fundantur in ontica dispositione psychologica hominum. — Quod directorem spiritualem spectat, cui poenitens suae conscientiae dictamen et subsequentem actionem examinanda subicit, in iudicio sibi efformando quoad obiectivam rectitudinen praeteriti dictaminis conscientiae, et quoad regulam de obiectiva rectitudine pro futuro dictamine dandam, Director spiritualis non provocat ad *poenitentis subiectivam persuasionem* — (quae confessario normam exhiberet pro actionis positae dijudicanda « *subiectiva liceitate* », de qua tamen nunc a poenitente non interrogatur) — sed confessarius confrontat sui poenitentis expositiones cum normis obiectivis, confessario aliunde notis, quibus normis ei rectitudo obiectiva — (idest conformitas cum ordine recto, prout hic est in se) — exhibetur, et sic confessarius pervenit ad iudicium de *obiectiva honestate* dictaminis et actionis, quae a poenitente examini confessarii subiciuntur, accidere quidem potest — (et absque dubio haud raro accidit) — quod iudicium illud intuitivum poenitentis re coincidat cum judicio a confessario criteriis obiectivis mensurato, sed non ex hac « coincidentia qua tali » probatur obiectiva rectitudo, sed ex conformitate cum adhibita mensura obiectiva. — Tandem, qui pluries examinare debuit obiectivam rectitudinem *visionum, apparitionum, allocutionum internarum Dei* ad aliquam animam — (vere aut putative privilegiatam) —, experientia scit: subiectivam illam evidentiam et intuitionem, quod ad veritatem obiectivam visionum, allocutionem, revelationum attinet, numquam admitti posse tamquam « ultimam et decisivam normam »; quia subiectiva evidentia ex se sola dare nequeat sufficientem obiectivae veritatis garantiam; scit: semper recurrendum esse insuper ad alia criteria sensu obvio vitae et scientiae criticae *obiectiva*; idque etiam in casibus, in quibus omnis deliberata vel semideliberata fraus est exclusa. — De cetero simile principium et similis agendi norma valet etiam in campo bathypsychologiae, parapsychologiae, psychologiae clinicae, psychotherapiae, psychoanalyseos. Omnes hae scientiae in decursu longae et laboriosae explorationis invenerunt et statuerunt regulas atque criteria, quibus clientium experientiae subiectivae (etiam evidentissimae) examinentur et mensurentur, ut tali examine nucleus obiective verus et phaenomenorum psychicorum elementa genuina ac obiectiva separentur ab additamentis subiectivis et interpretationibus personalibus, optima fide permixtis cum nucleo genuino.

34. Facta igitur et experientiae vitae, ad quas Ethica situationis, sibi suisque theorematis nimium fidens, appellat, ut fulciat suum assertum fundamentale de exsistentia et natura istius « vi-

sus » et « iudicii individualis », tamquam veritatis obiectivae « ultimae et decisivae normae », non solum hoc eorum assertum non probant (nec saltem ut probabilem insinuant), sed e contra, secundum principia seriae scientiae (sive theologicae, sive psychologicae, sive historiae criticae, sive therapiae clinicae) talis criterii et ultimae normae insufficientiam ac ineptitudinem evincunt. Ergo Dei quoque invitationes, revelationes, allocutiones tali criterio systematis Ethicae situationis ponderari et dignosci non possunt, neque dignum est ad eas hoc criterium applicari.

35. Quibus omnibus diligenter consideratis et ponderatis, statui debet: ex memoratis immediatis Dei invitationibus ac iussionibus, ex principiis in directione conscientiarum adhiberi solitis, ex recentissimis psychologiae modernae criteriis nullum evincens aut solide probabile peti posse argumentum pro exsistentia et decisiva valentia illius criterii typici ethicae situationis in INSTRUCTIONE memorati et reprobati.

36. NB. De hic allatis « *Animadversionibus accessoriis* », in ipsa INSTRUCTIONE S. Officii nihil invenitur aut innuitur; nihilominus ea afferre visum est expedire, ut scl. pondus atque momentum, et in specie campus applicationis ETHICAE SITUATIONIS — (scitur enim in omnibus his campis usui esse) — maiore cum certitudine perspici atque pensari queat, atque ut pericula ex eo imminentia melius patefiant.

Ex altera parte prae oculis haberi debet: « Animadversiones » esse allatas contra dictum iudicium intuitivum et individuale tamquam sentiendi atque agendi « *decisivam et ultimam normam* », [idest ad quam ultimatim omnia alia reducantur, cui in ultima instantia omnia alia in casu conflictus (paucis exceptionibus factis) cedere debeant]. Omnia alia, quae supra ad I Alinea dicta sunt de obiectivi ordinis ethici principiis (in se et in abstracto sumptis, ab Ethica situationis non reiectis) intacta manent. Ethica situationis, de qua agit INSTRUCTIO, accusari non debet de quodam generali *Subiectivismo* vel *Autonomismo* vel (quod adhuc peius est) *Nihilismo* ethico. Defensores reprobatae Ethicae situationis ut iam monitum est, haberi debent viri serii, qui — (admixtis quidem variis erroribus, et uno errore in re summi momenti) — in problemata, theoretica et practica, Ethicae serio et timorata cum conscientia inquirunt et de iis discutiunt.

III. Alinea. *Natura humana et lex naturalis.*

37. Non immediate apparet, cur hoc caput fuerit Instructioni insertum; nam alicui videri potest: in II. capite indolem et elementum characteristicum reprobatae Ethicae situationis fuisse plene designatum et circumscriptum, et hoc sufficere. Nihilominus accurate legenti ea quae subsequuntur in II et III Alinea, ratio huius additamenti statim patet. In Instructione sibi opponuntur duo systemata, quae differunt quoad utriusque systematis elementum distinctivum ultimum, scl.: « Esse obiectivum » - « Intueri subiectivum ». Systemati *Ethicae obiectivae* emanat ex rigiditate, firmitate, inflexibilitate τοῦ « Esse » et « Naturae »: rigiditas, inflexibilitas, necessitas principiorum, quae ab Ethica tamquam obiectivae honestatis et rectitudinis norma adhibentur. — Systemati *Ethicae situationis* autem resultat quidem et semper manet ex suo elemento typico « subiectivae intuitionis » maior quaedam adaptabilitas et lenis flexibilitas; sed Ethica situationis quoad hoc emolumentum sentit tamquam aliquod obstaculum et impedimentum « Esse naturae » eiusque valorem non negabilem nec negandum; neutrum enim Ethica situationis neglegere vult nec potest.

38. Patet ei ex his angustiis evadendi via: accuratius scl. investigandi in conceptum et indolem « naturae ». — Haec investigatio videre facit: duplicem « conceptum naturae » statui posse et debere, conceptum *naturae abstractae, absolutae, essentialem;* conceptum *naturae concretae, re-*

lativae, exsistentialem. Conceptus « naturae absolutae » exhibet omnia et sola elementa, sine quibus natura humana in nullo statu et condicione esse potest, quin cesset esse « homo ». Deus quidem loco « hominis » aliam creaturam rationalem creare potest, sed Deus « hominem » creare non posset, qui vel uno ex iis elementia absolutis, essentialibus, constitutivis careret. Ubicumque ergo et quandocumque « homo » exsistit, (tamquam quasi-nucleus) in eo semper etiam haec « natura abstracta » habetur fundatque omnia, quae ex his elementis indispensabiliter requisitis fluunt. — At « natura concreta », exsistens, ultra hoc plura alia habere potest et habet, quae praecise ex statu « concretionis » et « exsistentiae concretae » sunt, et hoc non solum in linea accidentium, sed etiam in linea elementorum « substantiam » tangentium, quae, quin sint elementa sensu stricto essentialia, tamen mera accidentia excedunt; immo ex his elementis, ex « naturae concretione » provenientibus, ipsa elementa essentialia *modificationem* accipere possunt.

Theologia plures naturae humanae *status* distinguit in quibus, natura metaphysica eadem manente, natura vi « concretionis » et « status » notabiles modificationes subiit; sunt « status » qui genus humanum *totum* respiciunt; ita: status naturae purae, status originalis iustitiae, status naturae lapsae, status naturae lapsae et reparatae, status naturae glorificatae (post scl. resurrectionem mortuorum). — Abstractione facta ab iis, quae de « statibus naturae concretae » ex revelatione sciuntur, lumen rationis iam ex se sufficit ad co-

gnoscendum: naturam humanam multipliciter « modificari » posse, salva natura absoluta, et « concretizari » in sic dictis « statibus » sat variis. Et lumen rationis realitatem huius « possibilitatis » videre et cognoscere valet non solum quoad totum genus humanum, sed etiam quoad aliquas eius partes, stirpes, genera particularia (« razzas »), nationes, populos, immo restrictam ad quosdam homines individuos, et ad quasdam eiusdem singularis hominis situationes individuales, ad quasdam in his individualibus situationibus individuales actiones. — Habet ergo illa conceptus et rei distinctio inter « naturam abstractam, essentialem » et « naturam concretam, exsistentialem », inter « naturam absolutam » et « naturam relativam » solidum fundamentum, ideoque tum quoad intrinsecam « possibilitatem », tum quoad huius possibilitatis extrinsecam quoque « actuabilitatem » rationabiliter respui non potest. Si tradita Ethica obiectiva hanc distinctionem et considerationem negaret, contra realitatem et veritatem offenderet. Et si ipsa « Ethica obiectiva » suum typicum « fundamentum » tenere non posset, nisi missa facta hac diversitate rei et conceptus, contra se haberet grave — (ne dicatur insuperabile) — praeiudicium. — Admisso autem duplici conceptu « naturae humanae » admitti debet etiam duplex conceptus « *legis naturalis* », scl. admitti debet lex naturalis naturae abstractae et absolutae, et lex naturalis naturae concretae et relativae.

39. Lex enim naturae intellegitur summa normarum ethicarum, quae ex « Esse naturae » resul-

tant et eruuntur, (cf. quae de hac re supra ad I Alinea exposita sunt). A st. Thoma (Opusc. 3, In duo praecepta caritatis) lex « naturalis » ita describitur: « lumen intellectus (naturaliter) insitum nobis a Deo, per quod cognoscimus, quid agendum et quid vitandum. Hoc lumen et hanc legem dedit Deus homini in creatione ». Praeterea secundum st. Thomam homo per veram « legem naturalem » participat « legem aeternam », quae exsistit in ipso Deo. Iuvat (ad urgendum pondus quaestionis) in memoriam revocare duas theses, quae apud auctores traditae Ethicae obiectivae de lege naturali exhiberi solent: « Generaliora legis naturalis praecepta ab homine expeditum usum rationis habente invicibiliter ignorari nequeunt ». « Lex naturalis tum intrinsece, tum extrinsece immutabilis est ». De hac altera tamen thesi dicti auctores notant: eam intellegi de mutatione directa et proprie dicta (quae in ipsum *vinculum obligationis* cadat), non de mutatione indirecta et improprie dicta, quae solummodo *materiam* legis ita mutat, ut non iam cadat sub lege; explicationis causa addunt: distinguendas esse duplicis generis « actiones intrinsece honestas vel inhonestas »: esse actiones quae ex ipsa *sua natura* (ex « substantia » actus) et abstrahendo ab omni circumstantia ulteriore sint malae (e. g. mendacium, periurium, odium Dei, etc.), et in his nullam mutationem (nec directam nec indirectam) esse possibilem; alias vero esse actiones, quae non ex *sola sua substantia* sint bonae vel malae, sed quae requirant *superadditas condiciones*, ut evadant ma-

lae, e. gr. defectum iuris in agente; quo defectu suppleto, eas cessare esse malas.

40. Sunt qui putant: assertam oppositionem inter Ethicam communem (seu obiectivam) et Ethicam situationis esse principaliter oppositionem quoad *modum loquendi;* in quantum vero versetur circam *rem,* fundari (ex parte defensorum Ethicae obiectivae) in ignorata vel non sufficienter attenta facili illa distinctione inter *legem applicatam* et *applicationem legis.* Fautores Ethicae situationis, si loquuntur de mutabilitate et mutatione, loqui de *applicatione* legis; falso et gratuito eis a defensoribus Ethicae obiectivae imputari: eos loqui de mutabilitate et mutatione *legis.*

Sunt sane auctores, qui terminum « naturae concretae, relativae, exsistentialis », et correspondentem terminum « legis naturalis, concretae, relativae, exsistentialis » non intellegunt de ipsa *lege* naturali, sed de eius *applicatione,* statuuntque thesim: iudicium ethicum, ultimo practicum, non debere rationem habere solius *legis,* sed etiam *circumstantiarum situationis,* in qua agendum et in qua lex *applicanda* sit; ideo in his circumstantiis legem quidem persistere talem, qualis in se sit (immutabilem et immutatam), applicationem autem huius legis esse mutabilem, et mutandam pro mutatis circumstantiis situationis. Thesis haec aliis verbis enuntiat sententiam communem, et nihil est nisi obvia thesis Ethicae obiectivae, traditae in Ecclesia catholica; quae semper docuit et docet: et principiorum et circumstantiarum contingentium rationem habendam esse secundum regulas pru-

dentiae. Haec distinctio inter legem et applicationem legis, ita intellecta, invenitur in communi doctrina: de excusatione, de dispensatione, de exemptione; etiam in doctrina de interpretatione voluntatis legislatoris circa legem ab eo promulgatam et subditis impositam. — Sed de *his* auctoribus, talia asserentibus — (quidquid est de eorum modo « formulandi » suam thesim) — nunc non agitur. Eorum enim doctrinae et thesi in INSTRUCTIONE explicite et expresse « *opponitur* » doctrina et thesis reprobatae Ethicae situationis, quae docet: ultimam et decisivam normam non esse legem obiectivam, iunctam cum ponderatione circumstantiarum, secundum regulas prudentiae facta, sed esse aliquod lumen et iudicium intuitivum, valorem sumens non ex lege et ex circumstantiis — (prout hae sunt in se) —, sed ex se ipso. His ergo auctoribus quaestio non agitur de *applicatione* legis, sed se ipsa *lege*. Et ipsa « lex » sub duplici aspectu secundum eosdem hos auctores intrare potest et intrat quaestionem de obiectiva honestate actus individualis ponendi:

1) In casu *evidentis conflictus* inter ipsam legem (non tantum applicationem legis) et iudicium subiectivum intuitivum individuale, hoc iudicium enuntiat honestatem obiectivam actionis ponendae, non attenta respectiva lege naturali contraria. Et haec enuntiatio iudicii intuitivi individualis rationabiliter fieri potest — (et rationabiliter fieri posse scitur) —, quia oblocutio *legis obiectivae* est — (et scitur esse) — oblocutio legis mutabilis, exsistentialis, relativae, fundatae in correspondente natura, mutabili, exsistentiali, relativa.

2) In *casu consonantiae* inter iudicia intuitiva individualia et iudicia communia, secundum sententiam et praxim communem efformata; iudicia illa intuitiva, honestatem obiectivam enuntiantia, ultimatim non emanant ex percepta cum « *lege obiectiva* » consonantia; sed quia homo, vi luminis illius interni « *intuetur* »: actum, de quo in hac situatione hic et nunc ponendo agitur, *esse in se honestum.* Ideo iudicium intuitivum enuntiat materialiter idem, quod enuntiat de eodem actu iudicium, iuxta principia Ethicae obiectivae (seu principia communia) efformatum. Habetur ergo « consonantia », sed est consonantia mere materialis; formaliter, idest respectu principii, ex quo fluit enuntiatio eiusdem materiae, est plena independentia et non-connexio.

Quibus monitis et expositis, iam redeundum est ad Ethicam situationis.

41. Systema reprobatae Ethicae situationis supponit ergo rem et conceptum naturae concretae, existentialis, relativae. Homo individualis in situatione individuali positus, « *videt* » ergo (secundum hoc systema mediante illo lumine et iudicio interno) actionem, quam positurus est, esse suae naturae concretae conformem, ideoque eam ob hanc rationem esse non solum « subiective licitam », sed etiam « obiective honestam ». Hac subiectiva ergo via et hoc modo subiectivo, *flexibilitas* et *adaptabilitas* naturae concretae et correspondentis concretae legis naturalis (quae flexibilitas exsistebat iam ante situationem actualem) secundum defensores Ethicae situationis cognosci-

tur: transiisse in respectivam legem naturae de *facto mutatam, de facto flexam et de facto adaptatam.*

42. Haec si prae oculis habentur, intellegitur, quis sit sensus et valor III Alinea INSTRUCTIONIS, quod hunc habet hunc tenorem:

« Secundum hos auctores « naturae humanae » conceptus traditionalis non sufficit, sed recurrendum est ad conceptum naturae humanae « exsistentis » qui quoad plurima non habet valorem obiectivum absolutum, sed relativum tantum ideoque mutabilem, exceptis fortasse illis paucis elementis atque principiis quae ad naturam humanam metaphysicam (absolutam et immutabilem) spectant. Eiusdem valoris tantum relativi est traditionalis conceptus « legis naturae ». Perplura autem quae hodie circumferuntur tamquam legis naturae postulata absoluta, nituntur secundum eorum opinionem et doctrinam in dicto conceptu naturae exsistentis, ideoque non sunt nisi relativa et mutabilia atque omni semper situationi adaptari queunt ». (A.A.S., 1956 pag. 144-145).

43. Ad hanc horum auctorum expositionem — (quam imprimis « refert » et « citat », non « docet » Instructio) — duo occurrunt Animadversiones faciendae:

1. haec illorum auctorum expositio non valet neque ad exsistentiam neque ad valorem typici elementi constitutivi reprobatae Ethicae situationis probandum, (scl. ad probandum: « decisivam et ultimam normam agendi » et « criterium, sibi ipsi plene sufficiens, pro obiectiva honestate » actionis ponendae esse « illud immediatum lumen et iudicium »);

2. haec illorum expositio errat quoad structuram et qualificationem « naturae concretae, relativae, exsistentialis »; nam sine argumento iden-

tificat aut confundit « naturae concretae » flexibilitatem ac modificabilitatem cum eiusdem actuali flexione et modificatione. Flexibilitas et modificabilitas naturae concretae semper adsunt; sed ipsa « possibilitas » mutationis ac flexionis, etiam si est certo probata, non est probatio pro possibilitatis actuatione; ad hanc stabiliendam requiruntur positiva, solida, certa argumenta. Haec autem a dictis auctoribus non afferuntur.

44. *Ad 1,* idest ad systematicam constructionem et attestationem: interno isto lumine exhiberi actionem ponendam, tamquam conformen cum « natura humana » concreta, existentiali, necnon conformem cum correspondente « lege naturae ».

Si, pro asserta conformitate obiectiva habetur solummodo « subiectiva evidentia » et « personalis persuasio », conformitas dici debet asserta quidem, sed nullatenus probata. Ex supra dictis sufficienter constat, quid de huiusmodi « subiectivis evidentiis » sentiri et iudicari debeat. — Si auctores autem illi ultra subiectivam evidentiam ponunt normas obiectivas, vere probatas tamquam obiectiva realitate ornatas — (quibus mensuretur et quibuscum confrontetur oporteat personalis persuasio, antequam ut òbiective vera agnoscatur) — iam missa fit thesis fundamentalis Ethicae situationis, quae est de intuitione illa individuali, tamquam de norma sibi plene sufficienti, nulla alia norma, a subiecto independente, mensurata, mensuranda, mensurabili.

45. *Ad 2,* idest ad falsam suppositionem circa conceptum naturae concretae.

De natura humana exsistente, quae quotidie omnium hominum oculis et observationi subest, omnes homines (si non sunt hebetes vel semifatui) habent quoad eius « substantiam » ideam claram — (idest: ideam qua res a re, idest homo a non-homine; non autem quaelibet rei nota ab aliis notis distinguitur) — huic ideae clarae superstruitur iudicium clarum: de elementis substantialibus constitutivis huius naturae concretae exsistentis; de horum elementorum relationibus, necessario ex elementis huius naturae concretae resultantibus; de postulatis substantialibus ethicis huius naturae concretae, quae ex cognitis elementis resultant, idest: de « lege naturali » naturae concretae exsistentis. Undenam singula illa elementa substantialia, quae in concreta natura inveniuntur, originem habeant (ex actione Dei naturali aut supernaturali aut mixta utroque influxu divino), haec consideratio et quaestio hunc conceptum naturae concretae, haustum ex observatione immediata, facultatibus mere naturalibus, peracta, non intrat nec modificat. Ideo ad hunc conceptum hauriendum et efformandum nullus requiritur recursus ad fontes revelationis. — Neque hic conceptus « naturae concretae » et correspondentis « legis naturae » tangitur probabilitate vel etiam certa scientia: Deum pro sua omnipotentia et omnidominio potuisse et posse creare naturam humanam, concretam, existentialem, aliam (in qua omnino eadem elementa constitutiva naturae absolutae, essentialis, inveniantur); neque intrat et modificat hunc obvium naturae concretae, relativae conceptum scientia, quod Deus pro eadem sua

omnipotentia et omnidominio possit hanc iam exsistentem naturam concretam modificare, (sive quoad totum genus humanum, sive quoad determinatum individuum).

46. Neque alteratur vel labefactatur hic obvius conceptus ex scientia et attentione, quod in ipso, tamquam aliquod elementum intrinsecum, lateat eius per Dei omnipotentiam mutabilitas, modificabilitas, flexibilitas. Quamdiu enim constans et continua natura humanae concretae observatio nullum prodit, immo ne insinuat quidem ullum vestigium actualis usus istius potentiae divinae; quamdiu e contra haec observatio hanc naturam concretam, flexibilem, modificabilem, adaptabilem nobis quotidie et semper de novo ostendit: non-flexam, non-modificatam, non-mutatam, non-adaptatam, absonum est assere: homines (sive in theoria sive in praxi) carere aliquo conceptu firmo et immutabili « naturae humanae concretae »; aut asserere: huic constanti et immutabili conceptui superstrui non posse (vel saltem non exspedire superstrui) conceptum « legis naturalis » non-flexendae, non-modificandae, non-mutandae, non-adaptandae in casibus particularibus secundum exigentias situationum. Habetur enim de natura concreta et de lege correspondente conceptus hypothetice-mutabilis, sed vero quodam sensu absolute-immutatus, ex hoc scl., quod constat: possibilitatem mutationis seu mutabilitatem, quae semper adest et semper manet, a Craetore practice numquam traduci in actualem mutationem. — Valet hoc loco idem, quod valet de aliis « legibus naturae » (phy-

sicis scl., mechanicis, chimicis, psychicis etc.) quae omnes (vel fere omnes) habent internam mutabilitatem, adaptabilitatem per omnipotentiam Dei, via miraculi — [exceptis tamen iis legibus, quae efferunt metaphysicam necessitatem aut metaphysicam impossibilitatem e. gr. excepta lege: omnia entia (quae praeter Deum sunt) habere Deum causam primam et finem ultimum; subesse et subiecta manere dominio et providentiae Dei; ea in nihilo poni posse in una linea cum Deo, ut Deo aequalia]. Deus in creando est quidem liberrimus; sed, si creat, non potest creare ens, quod dictis legibus metaphysicis non sit intrinsece et immutabiliter subiectum. Quia autem de multis aliis legibus non habeatur eadem metaphysica necessitas et immutabilitas, nemo ideo statuit de istis legibus naturae concretae harum creaturarum nos non habere conceptus stabiles, firmum praebentes fundamentum pro firmis conclusionibus (physicis, chimicis, biologicis, etc.) tum scientiae tum vitae et usus. Hanc per se obviam et facilem considerationem Ethica situationis neglegendum ducit. — De reliquo haberi permultas mutationes naturae humanae, quae eius « substantialia » non tangunt, sed versentur circa accessorias condiciones sive internas sive externas (temporum, locorum, culturae, personarum), non est cur explicite moneatur; omnibus enim patet, neque ex iis argumentum aut seria difficultas petitur.

47. Quod attinet ad stabiliendum et circumscribendum concretum illum, qui vitae subest, conceptum « legis naturalis » (et consequenter « natu-

rae humanae », qui est eius fundamentum), necesse est etiam (et imprimis), exquirere et attendere doctrinam et praxim Ecclesiae, quae minime censet, hunc conceptum et conclusiones inde deducendas relinqui posse beneplacito et arbitrio quorumdum theologorum vel etiam laicorum, qui sibi vindicare videntur auctoritatem atque competentiam imponendi aliis suas ideas et systemata tamquam normam sentiendi atque agendi.

Leo XIII pluries in suis litteris encyclicis de quaestionibus socialibus ac politicis; item pluries Pius XI, e. gr. in Litteris Encyclicis : De christiana iuventutis educatione; De matrimonio christiano, De ordine sociali instaurando, De communismo atheo; tandem Pius XII saepissime in suis Nuntiis radiophonicis, in permulis Allocutionibus — (versantibus circa quaestiones iuridicas, politicas, sociales, medicas) — tractarunt de « ordine naturali » qui dicitur, utentes normis et argumentis « legis naturalis » et explicite dicentes atque urgentes : se agere de postulatis « legis naturalis ». Et hi Pontifices semper suas considerationes fundarunt et superstruxerunt obvio illi conceptui « legis naturalis », qui habetur ex cognita illa natura humana concreta, quae omnium oculis et observationi continuo subest, et quae lumine naturalis rationis certa cognitione percipitur. Non premitur umquam in his Documentis Pontificiis artificiosa illa distinctio (in se quidem iusta et legitima, sed in usu vitae destituta practico pondere ac valore) inter conceptum « naturae abstractae, absolutae, essentialis » et conceptum « naturae concretae, relativae, exsistentialis », (et correspon-

dens distinctio quoad correspondentem conceptum « legis naturalis »).

In specie hic non silentio praetereunda videtur explicita et gravis monitio, quam Pius XII in sua diei 2 Novembris 1954 ad Cardinales et Sacros Antistites (Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos etc. etc.) Allocutione protulit de Ecclesiae competentia et auctoritate, quod attinet ad quaestiones « legis naturalis », necnon de omnium (clericorum quoque ac laicorum) obligatione oboediendi (externe et interne) huiusmodi Ecclesiae de « lege naturae » prolatis sententiis atque praescriptis. Initium et substantia respectivi laudatae Allocutionis capitis sic notat:

« Contra huiusmodi errores aperte firmiterque tenendum est: Ecclesiae potestas nequaquam « rerum stricte religiosarum », uti loqui solent, finibus continetur, sed tota quoque legis naturalis materia, institutio, interpretatio, applicatio, quatenus moralis earum ratio attenditur, in eius sunt potestate. Observatio enim legis naturae ex Dei ordinatione spectat ad viam, qua homo ad finem suum supra naturam tendere debet. Iam vero Ecclesia est hac in via, ad finem quod attinet supra naturam, hominum dux et custos. Hunc modum agendi iam Apostoli, et postea, inde a primis temporibus, Ecclesia semper tenuit et etiam hodie tenet, et quidem non instar ducis et consiliarii privati, sed ex mandato et auctoritate Domini. Quare, cum agitur de praescriptis et sententiis, quas legitimi Pastores (scilicet Romanus Pontifex pro universa Ecclesia, Episcopi vero pro fidelibus suis curis commissis) in rebus legis naturae edunt, fideles non debent provocare ad effatum, (quod in sententiis privatorum adhiberi solet): « tantum valet auctoritas, quantum valent rationes ». Hinc, etsi cui argumentis allatis ordinatio quaedam Ecclesiae non evinci videtur, tamen, permanet obligatio oboedientiae ». (A.A.S., 46 [1954] pag. 671-672).

48. Haec verba Pontificia immediate quidam sunt de competentia Ecclesiae circa « *legem naturalem* »; sed ex natura rei et ex paritate rationis

eadem verba etiam valere debent et valent de effatis auctoritatis ecclesiasticae circa « *naturam humanam* », quippe in qua fundatur « *lex naturalis* » et ex qua hauritur cognitio « legis naturalis ». Allegata monitio Pontificia apta sane est, refrenare quorumdam sui ipsius nimiam fidentiam atque statuendi nova systemata audaciam: apta etiam est, eos facere magis revereri « traditionem »; primo loco interrogare et audire Ecclesiam; dein tandem proprium urgere ingenium atque praeconiis effere consentientium cum ipsis theologorum quorundum huius temporis beneplacita.

IV. ALINEA. *Emolumenta et fructus Ethicae situationis.*

49. Assertus a reprobati systematis defensoribus fructus in eo est, quod homines, admissis atque ad rem deductis Ethicae situationis principiis « *a multis conflictibus ethicis aliter insolubilibus praeserventur vel liberentur* ».

Memorantur ergo « conflictus ethici » evitandi vel solvendi. Graves huiusmodi conflictus conscientiae et certae quaedam extremae eos mediante systemate ethico superandi viae memoratae fuerunt in Pii XII Allocutione diei 18 Aprilis, 1952 (AAS., 44 (1952) p. 416), sed cum addito: vix ullos esse *catholicos*, qui huiusmodi extremis deviationibus indulgeant. At systema Ethicae situationis non est systema proprium « catholicorum »; (spargi quidem coepit secundum I Alinea INSTRUCTIONIS « *etiam* inter catholicos »); multo plus usui est inter non-catholicos; insuper neque est systema pro-

prium « christianorum », magis domesticum ac patrium est inter non-christianos, doctos scl. viros « Ethicos » paganos, in Occidente et Oriente, in Europa, in America, in Sina, Japonia, India, Africa. — Exempla extrema quae ut « extrema » memorat allegata Allocutio, pro his hominibus nihil habent « extremi », sed sunt eorum mentis ac vitae expressio obvia.

50. Nonnulla exempla reprobatae Ethicae situationis supra iam nominata sunt; alia alibi facile inveniri possunt. Sed ut evitentur obiectiones otiosae, prae oculis haberi debet: de quibusnam personis agat et ad quasnam Instructio dirigatur. Non dirigitur ad communem coetum fidelium, neque agit de eorum communibus conscientiae dictaminibus; dirigitur ad *Professores et Lectores academicos,* qui et quatenus problemata ethica scientificae analysi subiciunt, in systema scientificum colligunt, eaque ex principiis ultimis explicare student. — Hi haud raro proponunt et discutiunt scientifica ethica problemata, non exponendo integrum systema, sed solummodo dando et dilucidando responsum aliquod scientificum ad problema particulare, in *linea principii* tamen (quod subest respectivo problemati particulari) dant tale responsum, ex *principiis* petitum, ut scientifico modo conflictus ethicus particularis, de quo agunt, vel praecaveatur vel e medio tollatur. In his Professorum vel Lectorum expositionibus et discussionibus *vox et terminus* Ethicae situationis saepe non occurrit, sed *res* systematis univoca claritate panditur. Unde dubium esse non potest: huius-

modi Docentes comprehendi numero Professorum et Lectorum, contra quos Instructio agere intendit.

51. Exempla concreta allata sint pauca.

Ante plus quam 25 annos — (tempore ergo, quando huiusmodi discussiones nondum fieri solebant sub voce et termino « Ethicae situationis ») — a laureato quodam Doctore catholico viva voce et in scriptis spargebatur, ornata considerationibus argumentisque academicis atque scientificis, assertio : in casu insolubilis conflictus ethici inter valores personales et valorem biologicum, spontaneo iudicio a coniugibus plenum usum iuris matrimonialis *perspici* tamquam in se honestum, licet de industria simul exclusus fuerit effectus biologicus. Qui Doctor theologiae de cetero tenuit et defendit sententiam : onanismum coniugalem in ordinariis circumstantiis esse intrinsece inhonestum et vitandum. Hanc de « honesto » Onanismo assertionem neque hodie carere inter « Doctos Docentes » defensoribus, nemo est qui nesciat. — Neque deesse scitur, qui nomine Ethicae et sanae mentis insinuent : in casu conflictcus insolubilis, spontaneo intuitu perspici « *honestam* » esse directam procurationem abortus, si secus revera nulla sit via arcendi et matris et prolis mortem. Et tamen iidem hi « Doctores » sincere tenent ac docent : extra casum talis insolubilis conflictus (et in genere) directam abortus procurationem esse intrinsece inhonestam. — Tamquam tolerabilis ab aliquibus habetur et proponitur thesis de directa procuratione pollutionis, quam dicunt tunc esse in

se honestam, in casu conflictus secus insolubilis inter gravem necessitatem sanitatis (sive psychicae sive organicae sive utriusque) et generale principium: tamquam obiective inhonestam reprobandam esse omnem directam huiusmodi actuationem apparatus generativi. — Spargitur insuper et exsecutioni mandatur tamquam in se honesta directa masturbatio ad obtinendum sperma, aptum ad vere necessarium examen seminis; nec desunt « Doctores » in Ethica, qui huic modo iudicandi et sentiendi scientificum fundamentum argumentumque ethicum suppeditent. — Neque leve atque attentione non dignum haberi potest assertum cuiusdam « Professoris theologiae » — (publicatum in quodam folio periodico academico) —, quo suggeritur atque insinuatur: advenisse tempus subiciendi revisioni ex integro totam « Moralem » circa actus et processus sphaerae sexualis, postquam scl. sub influxu « *Ethicae situationis* » glebae usitatorum principiorum ethicorum, tritae atque petrofactae, coeptae sint molliri ac subigi; nunc interno spontaneo intuitu multa « videri et perspici » ut in concretis situationibus « in se honesta », quae hucusque passim docebantur et hodie docentur « inhonesta ».

Non sunt pauci praeterea alii in campo sexualitatis conflictus ethici, sed « conflictus » minime ad hunc campum restringuntur. A pluribus in Ethica « Doctis » et « Peritis » recenter variis in locis repetitis vicibus quaerebatur, an, attenta « situatione » in determinatis territoriis exsistente et urgente, directum suicidium dici posset « *in se honestum* » — (idest: non solum « subiective lici-

tum », vi conscientiae invincibiliter erroneae, bona fide efformatae) — eo scl. in casu, in quo nulla alia via pateret non prodendi secreta, ex quorum proditione gravissima damna praevidentur certo secutura tum patriae, tum multis privatis (sociis scl. in clandestina, armata defensione patriae contra iniustos patriae invasores et oppressores). Ex dictis in Ethica « Doctis » et « Peritis » nonnulli, sive in scriptis sive viva voce (alii quidem haesitanter, alii vero sine haesitatione) responderunt: *affirmative*. Censuerunt enim: huiusmodi hominem, in dicta « situatione concreta » positum, « videre » iudicio quasi-intuitivo: suum in hac situatione perpetrandum suicidium esse *obiectivo ordini morum conforme*; (quidquid sit de principio generali: directum suicidium numquam esse licitum; quod principium, tamquam legis naturalis praeceptum negativum, Ecclesia numquam destitit inculcare). Videbatur enim dictis « Docentibus »: talem hominem in tali situatione, (non in terminis « scholae » et « scientiae », sed quoad *rem*) « videre » et iudicare: agi in suo casu non de lege naturali naturae absolutae, (quae lex nullam unquam exceptionem admittat), sed de lege naturali naturae concretae ac exsistentis, (quae lex quadam mutabilitate et ad « situationem » adaptabilitate gaudeat).

Alii conflictus graves occurrere possunt: in campo sociali, in campo politico, in campo iuris nationalis et internationalis. In his casibus « situatio » fundans « conflictus » est « situatio communis et publica »; sed ex hac situatione communi exsurgit multis personis individuis « situatio indi-

vidualis », in qua, tamquam homines individui, sibi efformare debent iudicium ultimum et decisivum de sua actione individuali ponenda. De illa « situatione communi » (oretenus et articulis) in publico discutitur, afferuntur rationes « pro » et « contra »; sed in correspondente situatione privata quoad ultimam decisionem, unusquisque suae conscientiae relinquitur, et tunc fautores ac defensores Ethicae situationis (inter quos etiam Professores et Lectores) remittunt suos asseclas tandem aliquando ad normam typicam huius systematis. Instructio Professoribus et Lectoribus Ethicae dat praeceptum: eis non licere, auditores et articulorum lectores edocere de his (cuiuscumque campi) conflictibus per dictam Ethicam situationis solvendis.

52. De cetero conflictus, de quibus fuit sermo, constituunt casus extraordinarios, in quibus, deficiente ethica obiectiva, Ethica situationis solutionem (quae aliter obtineri nequeat) suppeditare praetendit. At sciri et prae oculis haberi debet: Ethicam situationis in *omni omnino dictamine* conscientiae efformando applicari; licet in eius applicatione ad hos casus quotidianos vitae nil speciale habeatur et nulla difficultas sentiri soleat. Nam in his casibus generatim usui sunt ordinaria principia, in se univoce clara et variis systematibus communia. — At pro « *scientia Ethicae* » et pro « *Docente* Ethicae » in ordinariis istis casibus quotidianis latet idem omnino problema ethicum quod occurrit in casibus extraordinariis atque in gravissimis conflictibus. Unde urget et premit « Do-

centes et Professores » problema ac quaestio: num omnia omnino et unumquodque in particulari dictamen conscientiae, in unaquaque (etiam maxime ordinaria) situatione illi individuali ultimo criterio et lumini interno praesententur, et quidem ut ultimae Instantiae, et Tribunali interno supremo; insuper, num ultimum et supremum hoc Tribunal tamquam « lege » et « norma » utatur principiis obiectivis ordinis obiectivi, an contentum sit, (suppositis supponendis), unica illa norma luminis et intuitionis personalis. Unde Professor et Lector Theologiae moralis et sibi et auditoribus rationem reddere debet de valore et pondere, quod Ethicae situationis censeat tribui posse vel debere. Ad quod si attenditur, innotescit, cur specialis INSTRUCTIO de Ethica situationis a S. Officio fuit edita, et quodnam pondus et momentum haec Suprema S. Congregatio periculo tribuit, provenienti ex huius systematis in praelectionibus propagatione; tali enim agendi modo totam quam quis docet « Moralem » inficere atque adulterare valet.

53. Quod si de *modo evitandi vel solvendi conflictus quaeritur,* responsum quod dant defensores Ethicae situationis, in INSTRUCTIONE ita denotatur: in genere admittenda et ad rem deducenda sunt principia in systemate huius Ethicae exposita; in particulari: quoad actionem, de qua ponenda deliberatur, unusquisque in sua conscientia « *non imprimis secundum leges obiectivas* » iudicare debet, (quod facit « ethica obiectiva »); sibi ipsi enim, taliter agendo, praecluderet viam solutionis et liberationis; quia impediretur rigiditate et inflexibi-

litate ordinis τοῦ *E*sse. Eligere debet viam, quam ostendit « lumen illud internum individuale », et *iudicare debet secundum intuitionem personalem,* ortam ex dicto lumine interno. Tali enim via homo iungitur cum « natura concreta, relativa, mutabili et adaptabili » et cum correspondente « lege naturali », quae participat qualitates dictae naturae adaptabilis; in ea enim fundatur et ex ea cognita hauritur. — De valore obiectivo autem, qui illi lumini interno et iudicio personali, tribui possit, in antecedentibus sufficienter actum est. — At, ut respondeatur ad obiectionem, post Instructionem editam denuo factam, denuo moneatur, quod in his Annotationibus iam semel monitum est, supra n. 39: Est essentialis differentia inter evidentia iudicia conscientiae psychologicae *de factis internis praesentibus* physicis, et iudicia evidentia, alligata luminis illius interni personalis intuitioni. Illa versantur circa « *Esse* » rei, immediate ab intellectu tactum et exhibitum (seu circa evidentiam obiectivam τοῦ Esse quod producit evidentiam subiectivam τοῦ Videre hoc Esse). Haec autem iudicia, immediate et primum, non versantur circa ordinem ethicum obiectivum, (tamquam *factum internum physicum praesens* in iudicante, et secundum hoc suum Esse physicum immediate ab intelletcu tactum et exhibitum); ordo ethicus obiectivus non est tale Ens physicum. — Haec iudicia Ethicae situationis immediate versantur circa aliquod subiectivum Videre alicuius obiecti, (sive genuini sive fictitii), de cuius valore obiectivo non habetur autotestatio ipsius « Esse » obiecti; (quae autotestatio est in iudiciis intuitionis conscientiae

psychologicae, versantibus circa *Esse physicum factorum internorum, praesentium in subiecto iudicante*).

54. Datis his Notis et animadversionibus, sufficienter panditur sensus IV Aliena, cuius tenor est hic:

« Acceptis atque ad rem deductis his principiis, dicunt atque docent homines in sua quisque conscientia non imprimis secundum leges obiectivas, sed mediante lumine illo interno individuali secundum intuitionem personalem iudicantes, quid ipsis in praesenti situatione agendum sit, a multis conflictibus ethicis aliter insolubilibus praeservari vel facile liberari ». (AAS., 48 [1956] pag. 145).

V. Alinea. *Deviationes et aberrationes Ethicae situationis.*

55. Vitio vertuntur systemati, per Instructionem reprobató, hi defectus:

1. « *Multa ... rei veritati sanaeque rationis dictamini contraria sunt* ». Ad haec « multa » spectat:

a) Assertio: « Obiectivam honestatem » actionis ponendae, in se sumptam, non pendere ultimatim ab Esse. Sanae enim menti obvium et evidens est: antecedenter ad cognitionem nostram exsistere in sphaera ethica aliquem ordinem rectitudinis, cui nos nostram actionem *conformare* debeamus, ut haec nostra actio sit in se honesta et recta; minime autem nos nostro lubitu vel etiam nostro dictamine, sincere efformato, hunc ordinem « rectitudinis obiectivae » tandem *constituere*. Item sanae rationis dictamine constant: ordinem obiectivum in se habere « garantiam rectitudinis » ex

Esse, non ex nobis; istum obiectivum ordinem esse ultimam mensuram, mensurantem nostrum Agere; nostrum autem Agere esse ultimatim mensurabile et mensurandum secundum hunc ordinem, eum in finem, ut hoc Agere evadat *in se* et *obiective* honestum.

b) Rei veritati sanaeque rationis dictamini *contraria dicenda est haec eorum assertio*: hominem naturalis luminis rationis cognitione non sufficienter attingere « Esse naturae » et « principia obiectiva ethica » ex hoc Esse resultantia, cum nos nostra naturali cognitione non percipiamus: illud Esse de facto esse stabile, firmum, non-varians; cum naturali rationis lumine non percipiamus illam practicam « de facto non-variationem », non-flexionem, non-adaptationem competere etiam nostrae conscientiae iudicio, in quantum hoc iudicium est agendi norma ultima, decisiva (idest: iudicium ultimae Instantiae Supremi istius Tribunalis interni « Conscientiae »).

56. Subest his a sana ratione aberrationibus differentia neglecta — (quoad actionem hic et nunc ponendam) — inter uniuscuiusque conscientiam, tamquam normam ultimam *manifestativam* honestatis atque liceitatis subiectivae (personalis, formalis), et eandem conscientiam, tamquam normam ultimam *constitutivam* honestatis obiectivae eiusdem actionis, in se et secundum sua elementa constitutiva sumptae.

Ab omnibus conceditur: uniuscuiusque conscientiam sincere efformatam debere admitti tamquam legitimam normam agendi. Nam ordo obiec-

tivus rectus nobis non potest esse norma agendi, nisi in quantum est a nobis certo cognitus. Si haec cognitio non sufficit, actum est de nostrae actionis conformatione ad obiectivum ordinem rectum obtinenda. Haec consideratio etiam valet et valere debet — (et quidem ex eadem ratione, quod scl. non est alia via nostrae cum ordine obiectivo coniunctionis) — etiam in casu conscientiae, sincere quidem et bona fide efformatae, sed invincibiliter erroneae; quae conscientia ab omnibus admittitur tamquam legitima agendi « norma per accidens »: (cf. supra n. 8 in fine).

Sed per conscientiae dictamen actio, hic et nunc ponenda, non « *constituitur* » secundum sua elementa constitutiva in sua obiectiva relatione ad « ordinem obiectivum », sed in sua relatione ad subiectum eiusque subiectivam persuasionem; quae persuasio per se immediate est norma « *liceitatis personalis* » et « *honestatis subiectivae* », quae cum honestate obiectiva potest aut coincidere aut ab ea discrepare. Quid in casu concreto valeat — (aut unum aut alterum) — ex subiectiva evidentiva et ex personali persuasione dignosci non potest. Tota autem haec quaestio de *subiecti persuasione* et de *subiectiva liceitate* (inde resultante) est extra statum quaestionis Instructionis S. Officii, quae Instructio versatur circa designandam et urgendam normam ultimam decisivam constitutivam « *honestatis obiectivae* », actionis in individuali situatione ab individuali subiecto ponendae.

57. 2. Secundus defectus his verbis significatur « *Relativismi et Modernismi vestigia* ». Non

dicitur: reprobatam Ethicam situationis exhibere quandam formam vel speciem relativismi et modernismi, sed *vestigia* utriusque prodere.

Relativismus non ponit veritatem in obiectiva conformitate iudicii cum re, prout est in se, sed in conformitate cum subiectiva necessitate ita iudicandi de re. Haec subiectiva necessitas potest esse alia et alia: pro diversitate indolis personalis singulorum, pro diversitate temporum, locorum, culturae, status scientiarum, ordinum socialium, condicionum politicarum (nationalium et internationalium). Hinc pro diversis illis variationibus id, quod pro uno homine, territorio, tempore, etc. est verum, pro alio homine, tempore, etc. est falsum; et quidem non ob diversitatem obiecti materialis, sed, stante identitate materiae, ex diversitate subiectivae necessitationis (resultantis ex sat variis fontibus). Tamquam species vel quasi-species Relativismi inter alias afferri solent: *Psychologismus* (sive late sive stricte dictus), *Transformismus*, *Pragmatismus*. — Caveri tamen in tractando Relativismo debet, ne « cognitiones et assertiones relativae » identificentur cum « Relativismo »; multa enim sunt asserta (tum in scientiis, tum in usu vitae) quae statuuntur et valent solummodo certis suppositionibus et hypothesibus factis; at in statuendis talibus assertis minime in dubium vocantur grandia *principia*, (fundantia omnes vel determinatas veritates), vel evidentia « *facta* » quoad principiorum et factorum identitatem, necessitatem, constantiam pro omni intellectu, omni tempore, territorio, cultura, etc., etc. — Ethica situationis non profitetur « *Relativismum* »

(neque in genere quoad campum sive scientiae sive vitae, neque in particulari quoad sphaeram ethicam, quasi negaret omnia principia ethica absolute firma, immutabilia, eadem pro omni homine, loco et tempore). Sed in suo elemento typico, luminis scl. istius interni, (ultimatim, saltem in multis rebus, non subiecto principiis fixis ac firmis, immutabilibus, tamquam criteriis veritatis obiectivae) in elemento hoc, non mensurato neque mensurando neque mensurabili normis ordinis obiectivi, sed sibi ipsi plene sufficiente, non obstante sua flexibilitate, variabilitate, adaptabilitate, respectu occurrentium situationum, in hoc: *vestigia Relativismi prodit.*

58. « *Modernismus* » elementum typicum et constitutivum habet: *sensum religiosum,* qui per *vitalem immanentiam e latebris subconscientiae* erumpit; qui germen est totius religionis ac pariter ratio est omnium, quae in quavis religione fuere aut sunt futura. Huiusmodi « *sensus* religiosus », qui initio rudis quidem est atque fere informis, paulatim *influxu arcani illius principii interni,* unde ortum habet, adolescit una cum progressu humanae vitae, cuius est quaedam forma informans. Sic habetur origo cuiuslibet religionis; religiones enim nihil sunt nisi « *religiosi sensus* » merae explicationes. Hinc videri alicui potest: in Modernismo non dari locum intellectui; nam ille « *sensus religiosus* » non est « cognitio », sed « sensus »; nihilominus in hoc « sensu» Deus se homini sistit; licet confuse atque permixte, ut a subiecto vix dignoscatur. Necesse est ergo illum *sensum* aliquo

lumine illustrari, ut « Deus » (paulatim clare significatus) inde exsiliat. Hoc illustrandi opus ad *intellectum* pertinet, cuius est cogitare, analysim instituere; sic homo vitalia illa phaenomena, in homine exsurgentia, in species (intellectuales) primum traducit, dein verbis significat. Unde est modernistarum enuntiatio: debere religiosum hominem fidem suam « *cogitare* ». « Mens » igitur seu intellectus, illi sensui adveniens, in hunc sensum se inflectens, in eo, pictoris instar, elaborat « formam ». In eiusmodi elaborandi negotio mens hominis dupliciter operatur: primum, naturali actu et spontaneo, et rem cogitatam reddit enuntiatione quadam simplici et vulgari; dein vero reflexe ac penitius laborans, *cogitationem elaborando*, « cogitata » eloquitur *secundariis* sententiis, derivatis quidem a prima illa simplici sententia, sed quae sunt limatiores ac distinctiores. « *Obiectum sensus religiosi*, utpote quod « absoluto » continetur, *infinitos habet aspectus, quorum modo* hic, modo *alius apparere potest*. Similiter *homo*, qui credit, *aliis uti potest conditionibus*; ideo formulas religiosas *vicissitudini subesse oportet ac propterea varietati esse obnoxias*. (cf. Litteras Encyclicas « Pascendi dominici gregis », 8. Sept. 1907, De falsis doctrinis modernistarum: Denz. nn. 2077. 2087. 2079). Habetur ergo in Modernismo tamquam ultimum elementum, ex quo omnia originem ducunt, elementum, quod non per argumenta et criteria obiectiva cognoscitur et cognitum-habetur « iunctum esse cum veritate obiectiva ». Et huic elemento, nulla mensura — (quae ut « genuina » est cognita) — mensurato et mensurabili omnis subse-

quens activitas constructiva rationis superstruitur; et ab eodem hoc elemento (per lumen rationis non « controllato » neque « controllabili ») omnes subsequentes rationis sententiae ultimam « garantiam veritatis » habent.

Ethica situationis non utitur *solo* ultimo suo typico elemento (mensura obiectiva non mensurato nec mensurabili), sed admittit *etiam* alia principia generalia, argumentis solidis ut vera cognita et probata; quae principia ut talia, adsunt et cognoscuntur ante applicationem typicae illius normae luminis et intuitionis personalis. Et sic Ethica situationis differt a Modernismo; nihilominus in suo typico elemento intuitivo « affinitatem quandam » prodit cum « sensu religioso », erumpente per vitalem immanentiam e latebris congenitae indolis, rationis lumini imperviis, et ob hanc rationem Ethica situationis INSTRUCTIONE denotatur tamquam « *vestigia Modernismi* prodens ».

59. Tertius defectus Ethicae situationis designatur: *longa aberratio in multis a doctrina catholica per saecula tradita.* Ipsa Ethica situationis se dicit oppositam Ethicae obiectivae et fundamento, cui haec innitatur; sufficit relegere ea, qua ad I alinea dicta sunt; et sufficit confrontare reprobatam formam Ethicae situationis cum Ethica et principiis ethicis quae in parte secunda Summa theologicae st. Thomae habentur. Unde abundanter apparebunt longe a tradita doctrina catholica aberrationes.

60. Ultimus defectus in INSTRUCTIONE denotatus his verbis effertur: « *Variis systematibus*

Ethicae non-catholicae in non paucis assertis affinia sunt ». Non dicitur asserta Ethicae situationis *identica* esse cum assertis Ethicarum non-catholicarum, sed « affinia » idest, exhibentia aliquas notas indolis similis. Neque dicitur in Instructione, utrum « Ethicae non-catholicae », de quibus loquitur, intellegantur Ethicae christianorum, vel non-christianorum. Sufficit autem in his Annotationibus respicere relationem ad aliquas Ethicas non-catholicas, sed christianorum. Proprietates characteristicae harum « Ethicarum » — (nondum « Ethicae situationis ») — ab aliis aliae significantur; paucae sint allatae:

1) *Exaggerata quaedam praevalentia mentis ac mentalitatis subiectivae* et personalis — (idest: id quod quis sincere « sentit » et « iudicat », — quod sincere « affectat », — cui se sincere subiective « addicit », — similia) —, praevalentia et valore *obiecti* religiosi et ethici, in se sumpti; (iuvat pauca obiter et leviter tangere et sibi opponere: opus operantis — opus operatum; fides fiducialis — gratia sanctificans; elevatio ontica — elevatio psychica, relatio et valorum ordo inter utramque elevationem). Unde intelligitur characteristica die 27. Dec. 1955 (in quodam documento officiali quarundam Ecclesiarum non-catholicarum, cuius integrum textum accurato examini potuit subici) sollemnis assertio absolutae suprematiae conscientiae ultimo practicae super omnem normam extrinsecam obiectivam. « Aberratio » in his acatholicorum effatis est in *exaggeratione* praevalentiae, (in asserta quadam « exclusivitate ») et in non servato recto ordine in scala valorum. Utrumque ele-

mentum, et subiectivum et obiectivum, in omni christiana Ethica, recta et vera, exigi debet.

2) *Exaggerata quaedam accentio ac pressio communicationis immediatae inter Deum et hominem*; (confrontatio immediata inter personam et personam, non inter personam et « *rem* », idest legem seu ordinem quendam obiectivum, impersonalem; sive haec lex supponitur descripta in tabulis lapideis Moyses, sive in tabula carnea, viva in cordibus hominum, sive in codicibus et catechismis alicuius Ecclesiae, vel alterius auctoritatis publicae).

3) *Exaggerata quaedam tendentia independentiae a ductu et vigilantia Ecclesiae,* (cui Ecclesiae ductus fidelium et vigilantia a Christo fuit concredita, immo imposita); unde spontanea quaedam vel etiam deliberata et reflexa *repressio* ductus per Ecclesiam.

4) *Exaggerata quaedam accentio ac pressio et proclamatio maturitatis et maiorennitatis conscientiae* hominis adulti et maturi, qui non vult haberi et tractari ut pupillus, positus sub tutela parentum vel tutorum.

Alii alias — (ut supra monitum est) — proprietates significativas afferre solent; parum refert; plurimae enim (quoad rem fere omnes) ad quattuor hic memoratas reduci possunt.

61. Sunt tamen quaedam, paucae quidem, quae ad has non reducuntur, quibus autem a non-catholicis magnum (forte « decisivum ») pondus in campo ethico attribuitur; quae nihilominus hic

praeteriri possunt, quia in systema reprobatae Ethicae situationis non ingrediuntur.

Memorata non-catholicorum typica asserta non habentur « *identica* » in Ethica situationis, neque tale quid in Instructione dicitur vel insinuatur. Sed « affinia asserta » apud fautores reprobati systematis quilibet, qui totum systema diligenter perscrutatus est, facile deteget. Huc spectant: nimium praedicata et exaggerata praevalentia illius intuitivi iudicii subiectivi, tamquam ultimae normae; nimia depressio valoris obiectivi legis (et totius ordinis obiectivi) pro subiectiva Ethica subiecti agentis; exaggerate stabilita *exclusiva* competentia subiecti agentis quoad concretam condicionem actionis ponendae, determinatae per concretas circumstantias situationis; exaggerata depressio dignitatis « legis », quae tamen est voluntas legislatoris Dei, immediate vel mediate manifestata; vix dissimulata nimia depressio valoris, quem habet conscientiarum et fidelium ductus per Ecclesiam; exaggeratum pondus et momentum, quod tribuitur conscientiae personali hominis aetatis maiorennis et adulti.

Iuvat praeterea relegere exempla concreta, supra proposita, deprompta ex quorumdem Doctorum et Professorum vel articulis, vel praelectionibus ac conferentiis academicis, vel ex discussionibus. — Quidam ex iis huiusmodi assertiones « affines » non-catholicas eum in finem proferre videntur, ut quodammodo compleant ac locuplent, quae apud catholicos putant aut omnino deesse aut modo minus bono ac minus profundo exponi; videtur iis Ethica Ecclesiae catholicae in aliqui-

bus punctis progressivae « Ethicae et sensus moralis » deficere. Ideo nobilem quendam apostolatum exercere protendunt, scl. vites afferendo ad vineam catholicam ex non-catholicorum vineis, quoad quaedam vites meliores habentibus. Instructio S. Officii huic apostolatui contraria est.

VI. Alinea: *Motiva et obiectum interventionis S. Officii.*

62. Duo in hoc ultimo Alinea efferuntur: primo assignatur *finis,* propter quem S. Officium intervenerit, secundo designantur et statuuntur *media,* ad hunc finem obtinendum electa.

1) *Finis* circumscribitur his verbis: « *ad avertendum "Novae Moralis periculum"; ad doctrinae catholicae puritatem et securitatem tuendam* ».

« Nova Moralis » describitur in duabus Allocutionibus Pii XII, altera d. d. 23 Martii 1952, altera d. d. 18 Aprilis eiusdem anni, quae duae Allocutiones se invicem complent (cf. AAS., 44 [1952] p. 270-278; 413-419); textus et commentarius utriusque Allocutionis exhibetur in hoc folio periodico (cf. « *Periodica* », 41 [1952] p. 183-249). — Instructio non dicit reprobatam « Ethicam situationis » *esse et exhibere* « Novam moralem », sed creare serium aliquod eius periculum. Nova Moralis duplicem habet aspectum: alterum *negativum* et oppositivum ad Ethicam traditam, ad eius indolem nimis rigidam, staticam, magna ex parte revera petrofactam, cuius glebas tritas et infecundas oportet — (ut iam supra dicebatur) — infringere et mollire, ut novum semen speciei melioris

recipere possint, semenque radices mittere valeat in antiquo quidem illo fundo, nunc autem perarato et per aratum criticae subverso. Alter aspectus « Novae Moralis » est *positivus*: dare scl. nova principia theoretica quoad scientificam expositionem, et novas regulas practicas quibus adaptari queat « Moralis » ad vitam hominum huius temporis, adaptari praesertim exigentiis atque postulatis, emergentibus ex huius temporis situatione. — Ethicam situationis, tum quod attinet ad aspectum negativum, tum quod spectat aspectum positivum, praebere « Novae Morali » campum et fundum idoneum, apte dispositum, sine difficultate quis eruet et perspiciet, attentis Ethicae situationis theorematis: de conceptu naturae concretae, exsistentis, relativae, mutabilis, adaptabilis, necnon attentis theorematis scientificis et practicis correspondentis « legis naturalis », item: relativae, flexibilis, adaptabilis cuilibet vitae situationi.

63. *Puritatem et securitatem doctrinae catholicae* in periculo poni ex considerationibus, modo circa « Novam Moralem » institutis, facile patet; nam « Nova Moralis » puritatem et securitatem doctrinae catholicae non relinquit *intactam;* tum per suam tendentiam *negativam,* reprimendi scl. atque infringendi ea quae tradita sunt, antiqua sane, quae habentur tamen pro antiquatis; item per suam tendentiam *positivam,* admittendi et permittendi, in quantum omnino possibile est, ea, quae arrident ac placent hominibus et tendentiis huius temporis. Si « Nova Moralis » seria creat pericula tum puritati tum securitati doctrinae catholicae,

a pari « Ethica situationis » talia pericula creare dici debet, in quantum viis « Novae Moralis » incedit.

64. 2) *Media* ad finem obtinendun statuta.

a) Quoad *Praelectiones* academicas: facta nulla distinctione et differentia inter Instituta, in quibus hae « praelectiones » fiunt — (enumerantur: Universitates, Athenaea, Seminaria, religiosorum domus formationis)prohibetur et interdicitur *tradere* vel *approbare,* non quamcumque « Ethicam situationis », sed *hanc* « Ethicae situationis » doctrinam, idest illam eius speciem, quae in INSTRUCTIONE est delineata et circumscripta; hanc vero speciem Instructio prohibet, « *quovis nomine designetur* ». Non ergo attenditur vox, vel « nomen », vel titulus, sed unice *res,* quae in hac Ethicae situationis specie exhibetur; et pari modo unice attenditur *res,* quae in Praelectionibus traditur vel approbatur. *Res* autem in Praelectionibus proponi potest: vel proponendo systema *totum;* vel — (ut supra monitum est) — dando explicationem et probationem scientificam solius huius illiusve problematis specialis, derivando autem eius solutionem ex principio fundamentali Ethicae situationis. Et unus modus et alius modus cadit sub interdicto et prohibitione INSTRUCTIONIS. Non autem tangitur aut prohibetur mera expositio systematis sine ulla eius approbatione et defensione; qua scl. expositione Professor edocet auditores de obiecto, de quo agit INSTRUCTIO, et de argumentis et rationibus, cur systema reprobatum sit.

b) Quoad *publicationes et alios modos propagationis*: item prohibetur et interdicitur, hanc Ethicae Situationis « doctrinam, quovis nomine designetur, *in libris, dissertationibus, acroasibus seu, ut aiunt, conferentiis, vel quocumque alio modo propagari atque defendi* ». Huiusmodi « alii modi » possunt esse e. gr.: circuli privati clausi, colloquia privata, responsa ad dubia a privatis privatim proposita, ut a Professore vel Lectore solvantur, etc. etc. — De cetero quoad modum docendi Ethicam situationis in libris, conferentiis, etc. etc. recurrunt, quae modo dicta sunt de systemate proposito in praelectionibus.

65. Ut factis Annotationibus tandem finis imponatur, breviter recapituletur et significetur *punctum essentiale*, circa quod tota disceptatio vertitur; hoc punctum est in quaestione: quaenam sit « decisiva et ultima agendi norma », ex qua « homini, in concreta situatione posito, innotescit, quid sibi agendum sit ». Ad quam quaestionem reprobata Ethica situationis respondet: « Est intimum aliquod mentis uniuscuiusque individui lumen et iudicium ». Quod « iudicium » autem in fine quarti Alinea hac brevi atque univoca phrasi delineatur: « *Hoc iudicium, saltem in multis rebus, ultimatim nulla norma obiectiva, extra hominem posita atque ab eius persuasione subiectiva independente, quoad suam obiectivam rectitudinem ac veritatem, est mensuratum, neque mensurandum neque mensurabile, sed sibi ipsi plene sufficit* » (AAS., 48 [1956] pag. 144).

Franciscus Hürth S. I.

QUAESITA RECENTIORA DE NEGOTIATIONE PERSONIS ECCLESIASTICIS PROHIBITA

Etsi doctrina canonica [1] de negotiatione personis ecclesiasticis (clericis, religiosis et personis moralibus) prohibita iam per saecula est evoluta et constans — quae per CIC mutata non est — tamen interdum quaestiones oriuntur de applicatione principiorum ad facta nova, creata per evolutionem vitae oeconomicae. Ita saeculo elapso oriebantur quaestiones de legitimitate acquisitionis obligationum et actionum societatis commercialis et industrialis. Novae quaestiones etiam hodie habentur. Quando quaeritur earum solutio, in dies magis difficile se manifestat conamen solvendi quaestiones per simplicem applicationem solutionum antiquarum, traditionalium, nam hac via propter mutationem conditionum oeconomicarum vix habetur solutio, quae congruit naturae propriae conditionum oeconomicarum nostri temporis, uti ex illis quae infra dicuntur apparebit.

1. De aestimatione ethica mercaturae.

Imprimis notandum est aestimationem ethicam quaestus mercaturae evolutionem historicam habuisse, quae prohibitionem canonicam mercatu-

[1] Doctrina canonica hic supponitur. Cf. amplam et completam de ea relationem in articulo: Petrus M. Abellán S. J., *De vetita clericis et religiosis negotiatione.* Periodica de re morali canonica liturgica 1950, 231-262.

rae saltem magna ex parte explicat. Historice enim constat mercaturam maioris extensionis primum haberi inter populos altioris culturae cum populis inferioris culturae. Initio tamen populi inferioris culturae diffidebant intentionibus alienigenarum, qui venerunt ad merces acquirendas. Hinc isti non raro violentia et rapina usi sunt ad merces desideratas habendas. Revera constat, quod partim usque ad saecula recentiora mercatura maioris extensionis — eo quod merces afferuntur e regionibus remotis — originem duxit ex rapina et praedatione [2].

Ita tempore antiquo apud Graecos et Romanos mercatura parum aestimabatur; mercatores habebantur improbi et inde fere despiciebantur [3]. Medio aevo haec minor aestimatio quaestus mercaturae perdurabat [4]. Accedebat ratio iustitiae: Lucrum enim habebatur iniustum, nisi esset fundatum in re fructifera vel in labore. Hinc explicatur prohibitio canonica percipiendi lucrum ex pecunia simpliciter mutuo data; pecunia enim habebatur sterilis, consequenter lucrum ex pecunia qua tali habitum considerabatur usura.

Mercatura fere aequiparabatur usurae. Conditiones enim oeconomicae erant simplices. Ita generatim merces directe transibant a « producente » ad « consumentem ». Inde necessitas et aliqua

---

[2] WELLSTEIN, *Geschichtliche Entwicklung und Gliederung des Handels. Staatslexikon, herausgegeben von Jul.* Bachem, 2. Band, Freiburg i. B. 1909[3], 1027 ss. (cum ampla bibliographia).

[3] *Ibidem* 1041.

[4] *Ibidem*. Praeterea: W. M. PLÖCHL, *Geschichte des Kirchenrechts.* Band II. Wien, München 1955, 399 s.

functio oeconomica mercaturae ordinarie non apparebat. Mercator habebatur homo, qui facit lucrum sine labore, quatenus lucrum acquirit eo, quod se ponit inter producentem et consumentem.

Talis modus considerandi rem videtur supponi a S. Thoma, si distinguat inter commutationem rerum naturalem, necessariam et lucrativam [5]. Commutatio rerum *naturalis* fit propter necessitatem vitae; natura sua manet infra limites restrictos. Lucrum, quod acquiritur, est stipendium laboris; de cetero ordinatur ad finem honestum, e. g. ad sustentationem familiae. Commutatio *lucrativa* rerum fit propter lucrum qua tale; lucrum

---

[5] Duplex est rerum commutatio: una quidem quasi naturalis, et necessaria; per quam scilicet fit commutatio rei ad rem, vel rerum, et denariorum propter necessitatem vitae: et talis commutatio non proprie pertinet ad negotiatores, sed magis ad oeconomicos, vel politicos, qui habent providere vel domui, vel civitati de rebus necessariis ad vitam: alia vero commutationis species est, vel denariorum ad denarios, vel quarumcumque rerum ad denarios, non propter res necessarias vitae, sed propter lucrum quaerendum: et haec quidem negotiatio proprie videtur ad negotiatores pertinere... Prima autem commutatio laudabilis est; quia deservit naturali necessitati: secunda autem iuste vituperatur, quia, quantum est de se, deservit cupiditati lucri, quae terminum nescit, sed in infinitum tendit; et ideo negotiatio secundum se considerata quamdam turpitudinem habet, inquantum non importat de sui ratione finem honestum, vel necessarium; lucrum tamen, quod est negotiationis finis, etsi in sui ratione non importet aliquid honestum, vel necessarium, nihil tamen importat in sui ratione vitiosum, vel virtuti contrarium; unde nihil prohibet, lucrum ordinari ad aliquem finem necessarium, vel etiam honestum: et sic negotiatio licita reddetur: sicut cum aliquis lucrum moderatum, quod negotiando quaerit, ordinat ad domus suae sustentationem, vel etiam ad subveniendum indigentibus: vel etiam cum aliquis negotiationi intendit propter publicam utilitatem, ne scilicet res necessariae ad vitam patriae desint; et lucrum expetit, non quasi finem, sed quasi stipendium laboris. (S. Th. II. II. q. 77. a. 4. c.).

est finis negotiationis, non medium ad alium finem honestum. Haec negotiatio est proprie mercatorum, i. e. mercator habetur homo, qui inhoneste agit, quia lucrum qua tale quaerit, quia lucrum acquirit sine labore.

Inde a fine medii aevi maior evolutio civitatum habetur, primum in Italia, deinde etiam in aliis Europae regionibus. In civitatibus habebatur maior securitas iuridica. Hinc in civitatibus etiam activitas commercialis iuridice efficacius ordinari potuit. Ita explicatur, quod inde ab hoc tempore quaestus mercaturae magis aestimabatur [6].

Interea autem iam per saecula habebatur legislatio canonica prohibens personis ecclesiasticis exercitium mercaturae. Hanc prohibitionem magna ex parte inspiratam fuisse per minorem aestimationem ethicam, qua quaestus mercaturae in se afficiebatur, secundum illa, quae dicta sunt, dubium esse non potest. Revera fere usque ad nostra tempora inter rationes, quae ab auctoribus afferuntur tamquam motiva pro prohibitione canonica mercaturae, minor eius honestas apparet. Recognoscitur quidem mercaturam in se non esse vituperandam; attamen dicitur periculum agendi inhoneste esse tam proximum, ut secundum communiter contingentia perducat ad modos agendi inhoneste [7]. Proinde disqualificatio ethica, quae de se

---

[6] F. v. SCHOENEBECK, *Entwicklung und wirtschaftliche Bedeutung des Handels. Staatslexikon, herausgegeben von Herm. Sacher,* 2. Band. Freiburg i. B. 1927 [5], 992 s.

[7] Clerici non solum debent abstinere ab his, quae sunt secundum se mala, sed etiam ab his, quae habent speciem mali; quod quidem in negotiatione contingit: tum propter hoc quod est ordinata ad lucrum terrenum, cuius Clerici debent esse contempto-

refertur ad mercaturam, qua lucrum quaeritur tamquam terminus, lucrum in se modo illimitato, postea refertur sine distinctione ad omnem mercaturam, qua lucrum quaeritur, etiamsi lucrum quaeritur tamquam compensatio laboris, tamquam medium ad alium finem honestum.

De cetero minor aestimatio ethica mercaturae in opinione publica hodie non iam habetur [8]. Effertur functio positiva mercaturae pro vita oeconomica, i. e. functio distribuendi merces, quae habetur functio pro vita oeconomica non minus necessaria quam ipsa productio mercium, immo distributio oeconomice aequiparatur productioni. Porro mercatores communicant et defendunt apud producentes vota consumentium et eorum, qui incumbunt ulteriori specificationi mercium; ita mercatoribus debetur origo plurium industriarum necnon industriae communicationum. Hinc divisio laboris inter producentes et distribuentes efficit, ut illi vires suas integras applicare possint ad pro-

---

res: tum etiam propter frequentia negotiatorum vitia: quia difficulter exuitur negotiator a peccatis labiorum, ut dicitur Eccl. 26. (S. Th. II. II. q. 77. a. 4. ad 3).

In Decreto Gratiani (Dist. 78. can. 11. Friedberg I. 308 s.) habetur hic textus St. Joh. Chrysostomi: « Eiciens Dominus vendentes et ementes de templo, significavit, quia homo mercator vix aut nunquam potest Deo placere. Et ideo nullus Christianus debet esse mercator, aut, si voluerit esse, proiciatur de ecclesia Dei... qui autem comparat rem, ut illam ipsam integram et immutatam dando lucretur, ille est mercator, qui de templo Dei eicitur ».

Prohibetur negotiatio, « quia suspicionem praebet avaritiae, et obnoxia est periculis fraudum, injuriarum, prejuriorum etc. a quorum etiam specie abhorrere clerici, et religiosi debent, ita monente Apostolo ». (Fr. SCHMALZGRUEBER, *Ius Ecclesiasticum*, lib. III. tit. 50. nr. 6. Tom. tertius. Romae 1844).

[8] v. SCHOENEBECK, l. c. 993 ss.

ductionem et ad ulteriorem perfectionem mercium. Haec omnia vere magni valoris esse pro vita oeconomica ulterius demonstrari non debet. Immo, recognoscitur mercaturam suas partes habere non tantum in vita oeconomica, sed etiam in evolutione culturae et civilisationis, necnon pro stabiliendis relationibus bonis inter populos et nationes.

Proinde omnes illae rationes, quae antiquitus mercaturam reddebant quaestum minus honestum, hodie non tantum amplius non habentur, sed e contra plures habentur rationes, quae momentum mercaturae pro vita sociali multum augent et consequenter favent maiori aestimationi quaestus mercaturae. Si autem quaestus mercaturae hodie minore aestimatione ethica non iam afficitur, haec ratio — quae pro prohibitione canonica negotiationis valde efficax fuit — non iam afferri potest. Sub hoc respectu mercatura non tantum de se est honesta, sed etiam in concreto omnino honeste exerceri potest. Quod Ecclesia iam eo recognoscit, quatenus inter membra Institutorum Saecularium admitti possunt etiam mercatores [9]. Hoc autem

---

[9] In Decreto S. C. Conc. « De vetita clericis et religiosis negotiatione et mercatura » diei 22. martii 1950 (AAS. 1950, 330 s.) dicitur quidem, negotiationem prohiberi etiam sodalibus Institutorum Saecularium. Attamen notat A. GUTIÈRREZ C. M. F. (Comm. pro. Rel. 1951, 152 ss.): « Verba Decreti Instituta saecularia spectantia, ni fallimur, recte intelligentur » de sodalibus clericis. « Verba Decreti intelligi etiam debent de sodalibus Institutorum *reduplicative* ut talia sunt; ita ut a negotiatione prohibeantur exercenda *quatenus membra Instituti saecularis* ... Ultra hanc interpretationem verbi Decreti extendere, ita nempe ut sodales Institutorum etiam qua singuli et privati legi negotiationem prohibenti submitterentur, videretur contra naturam Institutorum saecularium recentissime semel atque iterum ... definitam. Sane: Iuxta illa pon-

probat Ecclesiam considerare exercitium mercaturae non alienum a statu perfectionis christianae.

A fortiori igitur hoc dici debet de negotiatione industriali, cum hic non habeatur pura emptio-venditio lucrativa mercium; in negotiatione industriali accedit elementum industriae. Quo magis habetur industria, eo minus in toto processu negotiationis momentum habet elementum commerciale, i. e. illud elementum, quod — in conceptione medioaevali, quae de cetero secundum ea, quae modo dicta sunt, defendi non iam potest — lucrum acquiritur sine labore.

2. De periculis propriis negotiationibus.

Alia ratio, quae pro prohibitione canonica negotiationis efficax fuit, est periculum, ne ob incertitudinem evolutionis vitae oeconomicae vel etiam ob malam gestionem negotiorum damnum oeconomicum subeundum sit, quod — praesertim si forte debita contracta solvi non possunt — repu-

---

tificia documenta in omnibus professionibus saecularibus licitis, perfectio evangelica excellentiori quodam modo sectari potest et debet; atque Institutorum saecularium sodales apostolatum penetrationis ... in omnibus classibus socialibus exercere debent. Nulli igitur civium honestae classi denegatur ab Ecclesia possibilitas sectandi evangelica consilia modo ab ipsa publice sancito; seu quod idem est, nullae saeculares honestae seu licitae professiones incompatibiles retinendae sunt cum perfectione evangelica ad normam Const. Provida Mater prosequenda ... Proinde, illa Decreti interpretatio qua sodales recentium Institutorum absolute prohiberentur negotiationem seu mercaturam exercere ad normam can. 142 aliena esset a mente R. Pontificis, et exinde omnino excludenda. Tandem, post annum a Decreti publicatione, apud Instituta saecularia non alia interpretatio, quod sciamus, data est; porro consuetudo est optima legum interpres ».

tationi Ecclesiae respective personarum ecclesiasticarum noceat. Haec ratio etiam hodie totum suum pondus retinet. Quaeri tamen potest, num hoc periculum non habeatur etiam quoad illas negotiationes, quae tamquam legitimae recognoscuntur. Si e. g. fundatio collegii ecclesiastici constituatur fundis, tempore siccitatis facile magnum damnum oeconomicum haberi potest.

Inde sequi videtur non esse intentionem legislatoris in prohibitione negotiationis excludendi ex toto periculum damni oeconomici, quia tale periculum etiam habetur quoad negotiationes, quae tamquam legitimae recognoscuntur. Sine dubio autem est intentio legislatoris reducendi hoc periculum damni oeconomici ad talem mensuram, ut damnum forte subeundum a persona ecclesiastica ferri possit, quin nimium oneretur. Ubicumque damnum forte subeundum hanc mensuram non excedat, nec habetur serium periculum pro reputatione talis personae ecclesiasticae. In oeconomia agraria, ad quam iurisprudentia de negotiatione prohibita generatim refertur, non habetur tam facile periculum damni ingentis, et ita generatim talis mensura servatur; praesertim insuper, quia nostris diebus beneficia et fundationes ecclesiasticae fundis nimis magnis constare non solent.

Si autem quoad negotiationes in oeconomia agraria periculum damni oeconomici excludendi intelligitur damni relativi, i. e. damnum nimis magnum pro persona ecclesiastica, de qua agitur, etiam quoad alias negotiationes non potest exigi, ut periculum cuiusvis damni oeconomici exclusum sit. Sufficit potius sub hoc respectu, ut negotia-

tiones sint talis naturae et extensionis limitatae, quae non creet periculum damni oeconomici, quod vires respectivae personae ecclesiasticae excedat. Ita e. g. maius periculum assumi potest ordinarie a persona morali quam a persona physica. Idem dicendum est ceteris paribus de maiore vel minore extensione negotiationum, quae exercentur.

Ad eandem conclusionem perducit etiam consideratio alterius periculi, cuius exclusio intenditur prohibitione canonica negotiationis, periculum nempe, ne personae ecclesiasticae praeoccupatae curis de rebus oeconomicis officia ecclesiastica ac ministeria religiosa et sacra negligant aut minus digne absolvant. Hoc periculum etiam est excludendum quoad negotiationes, quae in oeconomia agraria haberi solent. Dummodo igitur negotiatio maneat infra limites modestos et ordinata sit unice ad finem restrictum, e. g. ad sustentationem clerici, ad habenda subsidia necessaria pro operibus religionis vel caritatis exercendis talis personae moralis ecclesiasticae, hoc periculum de se non est ratio extendendi nimis prohibitionem canonicam negotiationis. Potius contrarium finis intenti accideret, quatenus pro ministeriis sacris necnon pro operibus religionis et caritatis obstacula crearentur ex penuria subsidiorum necessariorum; consequenter prohibitio nimis extensa obstaret exercitio ministeriorum sacrorum ac operum religionis et caritatis.

3. De eis quae attendenda sunt quoad naturam iuridicam negotiationum modernarum.

Haec quae dicta sunt certo certius non iam probant legitimitatem cuiusvis negotiationis ex parte personarum ecclesiasticarum, quae in se honesta habetur et qua talis non creat periculum damni oeconomici relative magni nec damni spiritualis. Attamen ex eo, quod tales considerationes non attenduntur, forte interdum praeiudicatur legitimitas negotiationum, quarum natura iuridica, si sedulo examinetur, vix a natura iuridica differt earum negotiationum, quae tamquam legitimae semper habebantur. Ex minore aestimatione ethica cuiusvis negotiationis et ex tendentia excludendi quodvis periculum oeconomicum et spirituale facile nascitur tendentia quasi a priori habendi prohibitam negotiationem aliquam, quin ulterius examinentur elementa iuridica, quibus constituatur.

Utique criterium decisivum prohibitionis vel legitimitatis alicuius negotiationis non habetur in fine legis, nam ratio legis non facit ius. Criterium decisivum habetur in natura iuridica negotiationis, de qua quaeritur. Attamen natura iuridica negotiationis specificatur fine, propter quem exercetur. Proprio animus faciendi lucrum est illud elementum iuridicum, quod reddit negotiationem prohibitam. Rationes enim, propter quas negotiatio prohibetur, fundantur in hoc elemento iuridico. Ex tali conexione inter finem, propter quem prohibetur negotiatio et naturam iuridicam negotiationis prohibitae apparet momentum — pro ipsa

natura iuridica negotiationis prohibitae respective legitimae — eorum, quae supra dicta sunt circa rationes, propter quas ferebatur prohibitio canonica negotiationis.

Tandem ratio habenda est mutationis conditionis oeconomicae Ecclesiae: Beneficia et fundationes, quae antiquitus ordinarie constabant fundis, agris, praediis, in non paucis regionibus notabiliter minuuntur aut omnino non iam habentur. Inde oritur necessitas providendi sustentationi clericorum, fundationibus collegiorum, subsidiis pro operibus caritatis, religionis, instructionis, educationis etc. aliquo modo convenienti, qui in concreto est possibilis et simul efficax ad habenda subsidia intenta. Ad hoc obtinendum hodie non minus inservire deberent industriae, quae nunc solent exerceri, quam antiquitus fundi, agri, praedia, quia cultura agrorum vel praediorum in multis regionibus non iam constituit possibilitatem concretam. Sicuti prohibitio negotiationis extendebatur eo tempore, quo sustentationi clericorum sufficienter erat provisum per beneficia, quo proinde necessitas per exercitium alicuius industriae providendi sustentationi non iam habebatur, ita etiam hodie principia de negotiatione prohibita sunt applicanda ad conditiones oeconomicas hodiernas, ratione habita in specie conditionis oeconomicae hodiernae Ecclesiae [10].

---

10 « Paulatim subsequentibus saeculis interdicta clericis negotiatio magis extenderetur. Cui extensioni nihil obstabat, cum clerici ab Ecclesia beneficiis essent provisi et sufficienter sustentarentur. Multo minus primis saeculis legitimum quoddam artificium vel exercitium agriculturae ad proprium victum et vestitum quae-

Ex hac consideratione generali quidem minime sequitur omnes industrias, quae hodie solent exerceri, in quaestionem venire etiam pro personis ecclesiasticis. Attamen haec consideratio generalis habet rationem cautionis non praeiudicandi legitimitatem alicuius negotiationis, nisi argumentis validis probetur agi de negotiatione, quae ob eius naturam iuridicam certo sit prohibita. Proinde accurate est instituenda analysis naturae iuridicae negotiationis, quae prohibita est, ut ita eluceat, quodnam elementum iuridicum formale negotiationem reddat prohibitam; vel potius accurate determinandum est, qualia elementa formalia concurrere debeant, ut negotiatio dicenda sit legitima. Talis modus procedendi est necessarius ex eo, quod quidem habentur principia generaliora circa neogtiationem prohibitam respective legitimam, non autem habentur principia generaliora quoad singulos modos negotiationis. Potius iurisprudentia circa negotiationem prohibitam antiquitus generatim spectabat causas concretas; inde solutiones non possunt directe applicari ad alias causas. Proinde demum postquam constet, qualia elementa iuridica formaliter reddant prohibitam respective legitimam aliquam negotiationem, habentur criteria, quae permittunt iudicium de

---

rendum clericis fuit interdictum; dummodo officium ecclesiasticum nullum caperet detrimentum, et abesset turpis lucri studium ». (WERNZ, VIDAL, *Ius canonicum*, tom. II. De personis. Romae 1928 [2], 144). « Cum serius, beneficiis pluribus constitutis, clericorum sustentationi satis esset provisum, rigidius vetitum urgebatur nec facile exceptiones admittebantur ». (F. M. CAPPELLO S. J., *Summa Iuris Canonici*, vol. I. Romae 1951 [5], 222, nota 19).

prohibitione respective de legitimitate pro personis ecclesiasticis alicuius negotiationis modernae.

4. De natura iuridica negotiationis quaestuosae prohibitae et legitimae.

Negotiatio quaestuosa habetur, si res emantur animo eas cum lucro vendendi. Duae species distinguuntur: 1) negotiatio proprie dicta seu commercialis seu mercatura, si res emantur et nulla habita specificatione earum cum lucro vendantur; 2) negotiatio improprie dicta seu industrialis, si res emantur et habita specificatione earum per industriam (aut etiam naturaliter) cum lucro vendantur.

Doctrina canonica est communis et constans quoad prohibitionem negotiationis proprie dictae seu mercaturae. Quando habetur animus emendi res, ut — nulla habita specificatione — cum lucro vendantur, negotiatio haec est prohibita. Res in hoc contextu intelligitur merx, i. e. obiectum utile ad finem aliquem humanum, quod est in commercio humano, ita ut mutetur cum aliis mercibus vel cum pecunia. Hinc rationem mercis habent non tantum res corporales, sed etiam iura, si et in quantum sint in commercio humano. Ita mercem constituere potest, in conductione-locatione domus, ius in usum domus, quoad titulos (obligationes et actiones), ius in aliquod capitale vel in alios valores. Pecunia est merx, si in se constituat valorem, e. g. ipsum aurum vel argentum, immo, etiamsi pecunia non constat materia, quae in se habet valorem, sed est tantum medium ad valores conservan-

dos, tamen rationem mercis habet, si et in quantum ponatur in commercio.

Notandum est autem negotiationem requirere natura sua habitum emendi res eo animo, ut cum lucro vendantur. Negotiatio igitur requirit repetitionem actuum; negotiatio non habetur unico tali negotio [11].

Notio naturae iuridicae mercaturae clara et univoca est, ita ut facile dignosci et distingui possit ab aliis speciebus negotiationis. Hinc tamquam principium haberi potest haec norma: Acquisitio

---

[11] « Censemus tamen non adesse in Decreto (S. C. Conc. diei 22.3.1950) fundamentum sufficiens, ut dicamus peccatum grave (ratione legis positivae) iam haberi, si clericus aut religiosus semel, etiam in magna quantitate, vetitae negotiationi operam det. Classica iam erat interpretatio verbi 'exercere'; quapropter cum Legislator voluit etiam hunc casum comprehendere, ut accidit Clementi IX, verba addidit 'etiam semel', in sua Constitutione 'Sollicitudo Pastoralis' de qua supra egimus. Hoc autem decretum non solum verbum 'exercere' continet, ut par erat, in referendo textu canonis 142; sed etiam in parte dispositiva se refert ad 'exercentes' vetitam negotiationem. In lege autem in qua poenae, adeoque graves, statuuntur, verba sunt strictae interpretationis. Verissimum est etiam ex unico negotiationis actu sequi posse mala gravissima; sed requiritur insuper ut Legislator expresse manifestaverit suam voluntatem comprehendendi etiam hunc actum unicum sub statutis poenis ». (ABELLÁN, l. c. 244 s.) Unus alterve auctor censet delictum negotiationis prohibitae haberi posse unico actu negotiationis prohibitae. Forte hoc assertum refertur ad negotium non tantum de quantitate magna, sed etiam natura sua minus honestum — quod facile haberi potest in sic dictis negotiis speculationis — ita ut iam propter periculum magnum de se tantum peragi soleat a viro perito, i. e. a negotiatore. Praesertim propter periculum magni damni oeconomici in hoc casu applicatio poenae severae intelligeretur. Attamen probabilitas sententiae, quae ad delictum constituendum habitum exigit, non permittere videtur assertum, certo poenam contrahi posse unico actu negotiationis prohibitae, quia agitur de re poenali.

cuiusvis iuris animo illud — nulla habita mutatione — cum lucro alienandi habetur negotiatio prohibita. Talis negotiatio habetur e. g. in mutatione mercis cum pecunia, pecuniae cum pecunia, in emptione-venditione titulorum valoris (sine ulla distinctione obligationum et actionum, i. e. abstrahendo a quaestione, utrum dominium in actiones iam in se constituat negotiationem quaestuosam necne), in conductione-locatione domus, automobilis, vel etiam operae ab operariis praestandae etc.

E contra notio naturae iuridicae negotiationis improprie dictae non ita clara et univoca est. Habetur negotiatio quaestuosa, ideoque prohibita: emere res, ut specificatae labore operariorum conductorum cum lucro vendantur. In hoc enim casu res ipsae habentur ex emptione, labor, qui applicatur, habetur ex conductione operariorum; lucrum igitur exclusive versatur circa iura solutione pretii (pro rebus emptis) respective mercedis (pro operariis conductis) acquisita. Proinde talis negotiatio improprie dicta quoad lucrum ex acquisitione et alienatione iurium habitum proxime accedit ad negotiationem proprie dictam.

Attamen habetur non prohibitum emere res, ut specificatione habita per propriam industriam cum lucro vendantur; lucrum in hoc supposito refertur ad propriam industriam. Neque habetur prohibitum res proprias specificare labore operariorum conductorum, ut ita cum lucro vendantur; in hoc enim supposito res non acquiruntur, etsi labor applicatus habetur per operarios conductos. Porro non habetur prohibitum locare domum pro-

priam vel currum proprium, ut ita lucrum percipiatur [12]. Neque hoc ex eo videtur fieri prohibitum, quia currus locatus ducitur viro, qui ad hoc a domino currus conducitur, sicuti non est prohibitum res proprias specificare per operarios conductos, ut ita vendantur. Ratio hanc negotiationem non esse prohibitam habetur in facto, quod hic agitur de locatione rei propriae; proinde ius, quod aliis conceditur — ius in usum domus, ius in usum currus etc. — non est *qua tale* acquisitum et alienatum cum lucro.

Neque natura iuridica huius activitatis mutatur eo, quod tales locationes fiunt in mensura magna. Hoc manifestum est ex sententia P. Wernz circa acquisitionem actionum societatis negotiationis [13]. Ad quaestionem enim, utrum liceat acquirere actiones societatis commercialis vel industrialis sensu lato, e. g. societatis, quae chartam producit, necne, respondet: negative, quia — ait — ipsum dominium actionum talis societatis importat negotiationem quaestuosam, cum societas commercialis vel industrialis sensu lato capitali actionariorum negotia instituat; haec autem negotia constituunt negotiationem quaestuosam. E contra

---

[12] « Agrum *emere* ad exercendam venam metallicam vel carbonariam, licet; non licet autem clericis agros alienos *conducere* ad fructus vendendos qui inde nascentur, vel ad saginanda pecora, saltem si haec opera aliena praestentur. Similis usus distinctione, Lugo, renitente Molina, permittit ut iumenta emantur eo fine ut locentur. Cum non ipsa iumenta sed solus eorum usus pro pretio cedatur, re vera nihil emptum est ad hoc ut carius vendatur ». (A. VERMEERSCH S. J., *Theologia moralis*. Tom. III. Romae, editio tertia, 24).

[13] Ius Decretalium. Tom. II. Pars I. Romae 1906 [2], 331 s.

auctor non prohibitum habet acquirere actiones societatis industrialis sensu stricto, qualis e. g. est societas ferroviaria, quia — ait — in hoc supposito societas exercet meram industriam. Industria igitur secundum praeclarum auctorem non cessat esse talis eo, quod per multos operarios conductos praestatur.

Haec sententia ex eo est valde instructiva, quia auctor de se in quaestionibus de negotiatione quaestuosa potius inclinavit in sententiam severiorem. Alii enim auctores, et hodie fere communiter, non habent prohibitum acquirere actiones societatis commercialis vel industrialis sensu lato, quod Wernz prohibitum habet. Proinde ratio, ob quam Wernz non prohibitum habet acquirere actiones societatis industrialis sensu stricto, non est factum actionarios per seipsos non habere partem in administratione negotiorum societatis (quae ratio communiter affertur a fautoribus sententiae actiones etiam societatis commercialis vel industrialis sensu lato de se acquiri posse legitime); neque enim actionarii societatis commercialis vel industrialis sensu lato habent partem in administratione negotiorum societatis; a. v. sub hoc respectu non est differentia inter societatem commercialem vel industrialem sensu lato ex una parte et societatem industrialem sensu stricto ex altera parte. Ratio, ob quam secundum Wernz non est prohibitum acquirere actiones societatis industrialis sensu stricto habetur tantum in eo, quod hic non intercedit acquisitio iuris, quod sine mutatione alienatur; hic habetur potius tantum industria, quae non cessat esse talis eo, quod per mul-

tos operarios conductos praestatur. Revera enim societas ferroviaria, ut servitia iter agentibus praestare possit, indiget propriis curribus, constructionibus etc., ita ut labor per operarios conductos peractus non sit unicum elementum servitii praestati. Proinde eodem modo ac labor operariorum conductorum, etsi sunt multi, applicatus ad specificationem rerum propriarum non obstat, quominus tales res specificatae cum lucro vendantur, ita etiam labor operariorum conductorum, etsi sunt multi, applicatus ad servitia praestanda iter agentibus in via ferrea non reddit prohibita servitia in via ferrea praestata pro compensatione solvenda et a societate cum lucro habita.

Hinc dici potest doctrinam canonicam non habere prohibitam negotiationem, quae fit cum rebus propriis, etsi intercedit labor operariorum conductorum, nec habet prohibitam negotiationem, quae fit cum rebus emptis, si istae industria propria specificationem subeant. Generaliter hoc principium enuntiari potest ita: *Non est prohibitus quaestus, si in activitate exercitata partem habent iura propria* — scl. sive res propriae, sive industria propria — *etsi etiam iura in ordine ad quaestum acquisita* — emptio vel conductio rerum respective laboris aliorum — *intercedant.*

Quaeri tamen potest, utrum distinctio inter negotiationem industrialem s. str. et negotiationem industrialem s. l. — hanc prohibitam, illam legitimam — in hodiernis conditionibus oeconomicis sit adhuc fundata necne. Sine dubio habetur distinctio negotiationis, prouti labor operariorum conductorum sit in toto processu negotiationis uni-

cum ius acquisitum, ex quo lucrum habeatur, an tantum unum ius inter alia iura, ex quibus lucrum habeatur. Habetur enim negotiatio industrialis s. str., si res propriae per operarios conductos specificentur, ut vendantur, vel si servitia praestentur per operarios conductos cum propriis rebus (constructionibus, curribus etc.); habetur negotiatio industrialis s. l., si si res emptae per operarios conductos specificentur, ut vendantur, vel si servitia praestentur per operarios conductos cum rebus pariter conductis. Proinde negotiatio industrialis s. l. magis accedit ad negotiationem commercialem quam negotiatio industrialis s. str. Attamen in utroque casu elementum iuridicum essentiale est labor conductus operariorum. Inde forte explicatur (inter alias rationes) tendentia hodie apud canonistas interdum se manifestans habendi prohibitam etiam negotiationem industrialem s. str. innixa ratione, quod haec pari modo sit exposita periculo damni oeconomici et spiritualis.

Attamen haec conclusio non videtur esse fundata. Nam obligatio excludendi periculum damni non est absoluta (supra nr. 2.). Porro habetur necessitas indicandi industrias, quae hodie in concreto sunt possibiles pro personis ecclesiasticis, ut quaerant sustentationem respective subsidia pro operibus bonis exercendis. Tandem prohibitio negotiationis quaestuosae est strictae interpretationis (infra nr. 6.). Hinc conclusio habendi prohibitam etiam negotiationem industrialem s. str. canonice non est fundata.

Altera ex parte conclusioni contrariae, i. e. habendi legitimam etiam negotiationem industria-

lem s. l., obstare videtur interpretatio, quam de prohibitione negotiationis quaestuosae proposuit iurisprudentia traditionalis, quae in hac re adhuc ad conditiones oeconomicas hodiernas indiget applicatione et forte etiam aliqua modificatione. Attamen ex ipsa iurisprudentia traditionali certa aliqua applicatio principiorum ad conditiones oeconomicas hodiernas iam haberi potest, i. e. ex applicatione ad conditiones oeconomicas hodiernas eorum, quae iurisprudentia traditionalis praebet de negotiatione oeconomica et accessoria.

5. De negotiatione oeconomica et accessoria.

Negotiatio oeconomica habetur, si res emantur cum animo, ut utilitati propriae vel domui propriae inserviant; illa tamen, quae utilitati propriae forte non inserviunt, venduntur, si casus ferat, etiam cum lucro venduntur. Nihil aliud igitur habetur nisi prudens administratio bonorum propriorum, ita ut etiam dici possit negotiationem, quam prudens administratio bonorum propriorum exigit, constituere negotiationem oeconomicam. Negotiatio oeconomica semper legitima habita est, immo interdum etiam obligatoria, e. g. pro beneficiario, ne ipsum beneficium detrimentum oeconomicum patiatur, vel pro oeconomo domus religiosae, ne domus detrimentum oeconomicum subeat.

Negotiatio oeconomica interdum actiones exigere potest, quae materialiter non differunt ab actionibus, quae ponuntur in negotiatione quaestuosa. Differunt tamen formaliter, quatenus in nego-

tiatione quaestuosa habetur animus lucrum faciendi, dum in negotiatione oeconomica habetur animus administrandi prudenter bona propria. Iurisprudentia canonica tales actiones materialiter a negotiatione quaestuosa non differentes in certis circumstantiis non habet prohibitas. Ita non habetur prohibitum ad augendum proprium agrum conducere agrum alienum, si illo conducto cultura agri proprii fiat frugifera aut magis frugifera aut denique ob aliam causam iustam, e. g. ob vexationes vicini vitandas [14]. Immo videtur, saltem in praxi [15], etiamsi ager proprius non habetur, conductionem agri alieni, ad illum colendum aut ad habenda praedia, non semper habitam esse prohibitam. (In omnibus hisce casibus supponitur, quod fructus ita habiti cum lucro venduntur). Porro communiter legitima habetur venditio titulorum (obligationum et actionum), quando eorum retentio praevidetur cedere in damnum possidentis. Neque acquisitio talium titulorum cessat esse negotiatio oeconomica, si inde a momento acquisitionis praevideatur probabilitas necessitatis eos iterum

---

14 « Cum, attento iure canonico (can. 1541), contractus locationis-conductionis contractui emptionis-venditionis iam non aequiparetur, is aliquando a specie etiam negotiationis stricte dictae alienus erit, ex. gr. si quis, iam aliqua praedia habens, quaedam alia conducit in supplementum vel ad certa incommoda, puta molesti vicini, vitanda ». G. VROMANT C. J. C., *De negotiatione clericis et religiosis interdicta.* (Ius Pontificium 1929, 34 s.).

15 « On vendra la laine, le lait, les petits etc., quand le bétail est nourri du produit des terres appartenant aux communautés; mais à s'en tenir à la doctrine antérieure au Code, il n'en serait pas de même, si on louait des terres pour la même fin, bien que nous croyons que la coutume contraire ait prévalu ». (Dom P. BASTIEN, O. S. B., *Directoire canonique,* Bruges, 1933 4, 251).

vendendi, et forte cum lucro vendendi ad damnum vitandum; hoc enim fit cum animo prudenter administrandi proprium capitale[16].

Inde autem sequitur transitum a negotiatione oeconomica ad quaestuosam quoad actiones materialiter consideratas non posse haberi fixum, sed potius esse fluentem, quatenus ex animo administrandi prudenter bona propria interdum poni possunt actiones alias prohibitae. Hoc facile intelligitur ex fine, propter quem prohibetur negotiatio quaestuosa: Lex enim prohibens negotiationem quaestuosam intentione fertur, ne personae ecclesiasticae occupentur negotiis saecularibus cum periculo damni oeconomici ingentis et damni spiritualis. Hoc autem periculum non censetur haberi, quamdiu negotiatio substantialiter maneat oeconomica. Proinde quando substantia negotiationis est oeconomica, ipsa lege prohibente non intendit legislator tangere actiones, quae, quamvis materialiter quaestuosae, accessorie se habent ad negotiationem oeconomicam. Etiam ex eo in hisce casibus quaestus formaliter non habetur, quod administratio oeconomica propriorum bonorum — saltem secundum communiter contingentia, in quibus agitur de bonis beneficialibus, de fundatione ecclesiastica — de se manet infra limites modestos, utique modestos relative: collegium enim ecclesiasticum forte fundationem sat magnam habet, tamen ratione habita communitatis, cuius sustentationi inservit, fundatio non facile, nostris diebus saltem, erit nimis magna.

---

16 Cf. notam 19.

Proinde dici potest negotiationem oeconomicam non cessare esse talem, quando accessorie ponuntur etiam actiones materialiter quaestuosae.

Tandem communiter admittitur actiones materialiter quaestuosas in certis circumstantiis legitime poni posse, etiamsi conexio cum negotiatione oeconomica non habetur. Ita admittitur in collegio posse vendi alumnis libros, diaria etc. in maius eorum commodum pretio usuali [17]. Animus in hoc supposito versatur circa commodum alumnis praestandum; lucrum habetur per accidens et acquiritur tamquam compensatio laboris impensi, periculi etc. Similiter in scholis, in quibus alumni formantur ad exercendam artem, e. g. fabri, sutoris etc., res alumnorum labore effectae possunt vendi pretio usuali, alumnis concesso aliquo favore convenienti ex lucro habito [18]. In hoc supposito non habetur conductio laboris alumnorum; finis principalis talis scholae est formatio et instructio alumnorum. Inde etiam in hoc supposito lucrum habetur per accidens.

---

17 « In rerum autem pretio, cum honesta laboris remuneratio, tum fenus pecuniae insumptae, tum periculum quoddam damni computari possunt ». (VERMEERSCH, l. c. 23). Cf. etiam BASTIEN, l. c. 251. Tales tituli communiter indicantur apud auctores, ut lucrum aliquod iuste accipiatur. Notandum autem est omnes tales titulos etiam mercatores habere. Nonne hic potius subest conceptio medioaevalis in mercatura de se intendi lucrum sine labore et hinc sine titulo?

18 « Nec stricte aliena est opera eorum qui aliquo titulo ad familiam pertinent, ut sunt alumni qui institutionis causa vel ad artem addiscendam eodem tecto recipiuntur vel scholas frequentant. Praeterea, quod pauci operarii conducti ad familiares addantur, non impediet quin industria moraliter propria clericorum esse censeatur ». (VERMEERSCH, l. c. 23).

Proinde actiones materialiter non differentes a negotiatione quaestuosa non constituunt formaliter negotiationem quaestuosam, si ponantur accessorie ad actiones, quae negotiationem quaestuosam non constituant, e. g. servitia praestanda, formatio alumnorum etc. Hinc dici potest iurisprudentiam canonicam non habere prohibitas actiones materialiter a negotiatione quaestuosa non differentes, si tales actiones non ponantur per se, sed accessorie ad actiones de se non prohibitas (negotiatio oeconomica, opera caritatis, instructionis, formationis etc.).

Generaliter hoc principium enuntiari potest ita: *Dummodo finis activitatis principaliter peractae non sit quaestus, sed aliud bonum honestum, actiones materialiter a negotiatione quaestuosa non differentes, sed accessorie se habentes ad activitatem principalem, et hunc characterem accessorium retinentes, non constituunt formaliter negotiationem quaestuosam, prohibitam.* Breviter: Prohibita est negotiatio formaliter quaestuosa, non autem mere materialiter talis.

Haec distinctio inter negotiationem materialiter et formaliter quaestuosam in traditione canonica videtur haberi eo, quod distinguitur inter negotiationem necessariam et lucrativam, prouti lucrum intentum sit medium ad alium finem honestum, an in se terminus negotiationis (cf. notam 5). Etsi enim prohibitio canonica extendebatur etiam ad negotiationem, qua lucrum intenditur tamquam medium, sub hoc respectu prohibitio nunquam erat absoluta. Ita negotiatio ordinata ad sustentationem olim prohibitione non afficiebatur (cf. notam

10); neque haec unquam ex toto prohibita fuit (cf. nr. 4).

In specie autem sub hoc respectu notandum est nunc fere communiter legitimam haberi acquisitionem actionum societatis negotiationis, non tantum industrialis s. str., sed etiam s. l. (immo non exceptae societatis commercialis) [19]. Iamvero non potest negari, quod actionarii negotiationem exercent, quia ipsi cum proprio capitali constituunt societatem, quae est subiectum negotiorum. Etsi actionarii non habent partem in administratione societatis, negotiationem tamen exercent, saltem per alios, per administratores. Conditiones, quae ponuntur pro legitimitate acquisitionis actionum

---

[19] « Propterea religiosis ad gerendum patrimonium communitatis ex officio deputatis, necnon aliis clericis licet emere titulos seu valores sive obligationes sive actiones, dummodo in gerenda ipsa negotiatione vel commercio certae cuiusdam societatis, nullas partes activas habeant.

Ipsis quoque licet eosdem titulos vendere ac commutare in alios titulos saltem aeque tutos ac frugiferos. Immo attento can. 1539, § 2, huiusmodi commutationes verae alienationi non aequiparantur. Clericis ergo ac religiosis permittuntur operationes quae vocantur marché au comptant, arbitrage, cash-business. Opinamur religiosis ac clericis licitas esse quoque operationes ad terminum, dummodo sincera adsit intentio pecunias vere collocandi ad fructum, ita ut tituli revera sint tradendi die statuto (terme à livrer, comptant différé; to take delivery).

Supradictae operationes fieri possunt saepius, necnon cum intentione arripiendi novam faustam occasionem eosdem titulos iterum vendendi seu commutandi. Neque prohibetur quominus id fiat cum intentione percipiendi augmentum honestum tam auctarii seu redituum, quam ipsius valoris seu tituli (plus-value du titre).

Successivae enim istae commutationes titulorum hodie non sunt nisi eiudem patrimonii vel pecuniae iteratae collocationes ad fructum, apud novos mandatarios seu mutuantes magis favorabiles ». (VROMANT, l. c. 36 s.).

talis societatis — non habere partem in administratione, exclusio negotiationis cum ipsis actionibus, praesertim exclusio negotiorum speculationis — reducuntur ad obligationem excludendi periculum damni oeconomici ingentis et spiritualis; tales conditiones autem naturam iuridicam actionum non mutant.

Quod autem non obstante hac natura iuridica actionum earum acquisitio legitima habetur, explicatur ex fine, qui acquisitione actionum intenditur: Habetur acquisitio actionum tamquam collocatio frugifera capitalis proprii, tamquam administratio prudens bonorum propriorum. Hinc hic collocatio frugifera capitalis proprii in ordine ad finem restrictum — quo ipsae negotiationes infra limites modestos manent — habetur legitima negotiatio oeconomica, etsi negotia exercitata materialiter negotiationem quaestuosam constituunt.

6. De stricta interpretatione legis prohibentis negotiationem.

Uti supra iam dictum est, notio negotiationis quaestuosae improprie dictae non est sub omni respectu clara et univoca. Iam in conditionibus oeconomicis saeculorum praeteritorum, quae relate ad conditiones hodiernas erant multum simpliciores, dubia habebantur; nihil mirum igitur, quod hodie mutatis conditionibus oeconomicis dubia habentur, immo forte dubia plura habentur quam antea, quia hodie processus oeconomici et industriales magis sunt evoluti et complicati.

Attamen talia dubia non sufficiunt ad prohibitionem affirmandam, dummodo habeantur ex al-

tera parte rationes vere validae, quae in favorem legitimitatis afferri possunt. Hoc dicendum est ob considerationes illas generales, de quibus supra egimus. Hoc dicendum est etiam ob rationes formales canonicas, de quibus nunc agendum est.

In hac quaestione enim omnino applicandum est principium de stricta interpretatione legis odiosae (can. 19). Agitur de prohibitione, qua liberum iurium exercitium coarctatur, quia de se negotiatio nihil mali continet. Proinde, si finis propter quem exercetur negotiatio, est bonus, talis negotiatio iure naturali non est prohibita; prohibitio canonica est iuris positivi. Hinc non debet prohibitio affirmari, nisi stricte probetur prohibitionem afficere etiam industriam, de qua est quaestio.

Praeterea exercitium negotiationis prohibitae punitur excommunicatione latae sententiae [20]. Haec sanctio ex se constituit rationem strictae interpretationis legis (can. 19). Quaestio autem, quid requiratur et sufficiat ad delictum negotiationis prohibitae constituendum habetur communiter quaestio difficilis [21]. In quantum autem de delicto non constat cum certitudine, neque poena est affirmanda [22].

---

20 Cf. notam 9.

21 GUTIÈRREZ, l. c. 208, etsi tenet sententiam terminum « negotiationem exercere » non exigere repetitionem actuum, tamen notat: « Iam vero, salebrosa heic quaestio occurrit: quaenam censenda est materia gravis in subiecta materia negotiationis? Doctrina hodie communis, ut notum est, tenet verbum « exercere » canonis 142 significare aliquam actuum repetitionem, aliquod exercitium quasi habituale ».

22 Experientia constat comminationem huius poenae severae latae sententiae creasse timores conscientiae, praesertim ibi, ubi

Nec iuvat hic solutionem quaerere eo, quod commendatur petitio facultatis exercendi negotiationem. Nam talis facultas non significat meram

---

de se optima habetur dispositio legem observandi; hic defectus definitionis clarae delicti negotiationis prohibitae et tamen poena l. s. sanciti causa fuit multorum dubiorum conscientiae. E contra illi, qui vere comminatione huius poenae afficiuntur et negotiationem certo prohibitam relinquere deberent, non raro facile putant se habere causam excusationis. Poena gravis ferendae sententiae, sine haesitatione applicata in casibus gravioribus negotiationis prohibitae cum periculo damni magni oeconomici et damni spiritualis — nonne finem intentum forte efficacius obtineret, quin alii timoribus, etsi non fundatis, afficerentur comminatione poenae severae l. s.? Salva omni reverentia Decreto S. Congr. debita!

In hoc contextu attentionem meretur finis legum, quibus statuebantur poenae speciales pro missionariis negotiationem instituentibus. Ratio enim principalis, propter quam pro missionariis poenae speciales statuebantur, erat protectio privilegii regi Lusitaniae a Sede Apostolica concessi exercendi mercaturam in India Orientali. Gaudebat igitur rex Lusitaniae monopolio exercendi mercaturam. Inde ipse rex tenebatur conferre subsidia necessaria missionibus. Bene intelligitur reges rigorose invigilare, ne hoc privilegium a missionariis violaretur. Missionarii autem, qui non obstantibus gravibus poenis fori civilis mercaturam exercebant, poenas effugebant appellando ad privilegium fori ecclesiastici. Quapropter rex Lusitaniae a Romano Pontifice petivit protectionem efficacem privilegii sibi concessi.

Hinc Pius IV. cum Constitutione Apostolica: « Romanum decet Pontificem » diei 4. 10. 1563 statuit, ut clerici mercaturam instituentes in India Orientali privilegio fori privarentur, ita ut in foro civili puniri potuissent. Urbanus VIII. cum Constitutione Apostolica: « Ex debito » diei 22.2.1633 addidit pro religiosis excommunicationem l. s., pro clericis excommunicationem f. s. et suspensionem f. s. Demum sub Clemente IX. cum Constitutione Apostolica « Sollicitudo Pastoralis » diei 17.6.1669 haec lex poenalis relationem immediatam cum privilegio regi Lusitaniae concesso amittebat, quatenus excommunicatio l. s. extendebatur ratione territorii ad omnes Indias Orientales sensu lato et ad omnes partes Americae, ratione subiecti ad religiosos et clericos, ratione obiecti, quatenus unicus actus mercaturae et negotiationis prohibitae sufficiebat ad delictum constituendum. Quae poenae omnes

licentiam, sed constituit veram dispensationem a lege. Licentia superioris, quae interdum ad actum iuridicum legitime ponendum requiritur, non significat esse magis conveniens non ponere talem actum; immo interdum agitur de actu omnino necessarie ponendo, de actu utilissimo pro ipso bono Ecclesiae. Necessitas petendi *licentiam* urgetur tantum, ut actus quamcumque ob causam ponatur dependenter a superiore. E contra *dispensatio* est vulnus legis. In casu requisitae licentiae dici potest, quod habita licentia actus eo ipso legitime poni potest; in casu vero requisitae dispensationis utique etiam legitime poni potest actus; attamen dispensatio ordinarie, habitualiter dari non deberet. Dispensatio tamquam vulnus legis non potest esse via ordinaria providendi sustentationi personarum ecclesiasticarum, nec via ordinaria procurandi subsidia pro bonis operibus religionis vel caritatis instituendis. Proinde si agatur de activitate, quae vere negotiationem prohibitam constituat, dispensatio venit in quaestionem tantum pro casibus particularibus, extraordinariis, in quibus causa iusta, sed extraordinaria, pro dispensatione habetur; in casibus autem ordinariis debet urgeri observatio legis. Si ob mutatas conditiones sociales quoad exercitium determinatae industriae ordinarie et habitualiter dispensatio concedi debeat, quoad hanc industriam saltem haberetur signum manifestum ipsam legem indigere aliqua applicatione

---

per CIC sublatae erant. (Theod. Grentrup S. V. D., *Das kirchliche Handelsverbot für die Missionare.* Zeitschrift für Missionswissenschaft, Münster i. W., 1925, 257 ss.).

ad novam realitatem socialem. Secus ex una parte urgetur lex negotiationem prohibens, et ex altera parte concedendo dispensationem dispensatio recognoscitur tamquam via ordinaria procurandi bona necessaria pro sustentatione respective pro bonis operibus religionis et caritatis; a. v. ex una parte urgetur lex, et ex altera parte recognoscitur, quod lex ordinarie iam amplius in hac parte non potest observari, quia observatio legis perduceret ad effectus non desideratos.

7. Die applicatione principiorum ad quaestiones modernas.

Principia supra statuta videntur posse invocari ad praebendam solutionem iustam, aequam, congruentem realitati sociali hodiernae, quaestionum, quae nunc saepius proponuntur.

Quaerimus hic solutionem duarum quaestionum: exercitium « typographiae » et exercitium theatri cinematographici.

a. *Exercitium typographiae.*

Sat frequenter hodie personae morales ecclesiasticae habent typographiam. Si typographia, etsi labores fiunt per operarios conductos, destinatur ad opera propria typis imprimenda, nequidem est quaestio de negotiatione prohibita. Immo, sine dubio nihil obstat, quominus tempore, quo opera propria typis imprimenda non habentur, etiam admittantur typis imprimenda opera aliorum pro pretio iusto solvendo, ne operarii hoc tempore careant labore et mercede, ne machinae

hoc tempore sint « steriles » etc.[23]. In hoc supposito admissio aliorum operum habenda est negotiatio oeconomica. Nemo enim tenetur renuntiare utilitate habendi propriam typographiam ad opera propria typis imprimenda destinata tantum ex eo, quod interdum propria opera typis imprimenda non habentur[24]. Proinde opera aliorum admittun-

---

[23] Cf. responsum S. C. Conc. relatum in F. L. FERRARIS, *Bibliotheca Canonica Iuridica Moralis Theologica,* tom. II. Romae, 1886, 322: « An in suis molendinis pro tritico, et pistrinis pro oleo, postquam suum triticum, et olivas moluerint, alienum triticum, et alienas olivas certa mercede constituta molere possint; suppositis infrascriptis, quod id ab immemorabili tempore semper fuerit factum, et observatum: quod singulis annis non expedit pro solo servitio proprio triginta, vel quadraginta ducatos impendere in conficiendis pistrinis, nam fiunt ex iuncis, et aliis materiis, quae mensibus quinque, aut sex corrumpuntur: et in uno equo, et quattuor personis inservientibus ipsis pistrinis. Et quod molitura olivarum durant per quattuor, quinque, vel sex menses, iuxta annorum fertilitatem ». — « Affirmative, duobus concurrentibus, videlicet modo ob hanc causam non se subrahant ab iis, in quibus ex Officio Clericali incumbere debent, et dummodo non ad lucrum, sed ad necessaria vitae comparanda pro se, et sua familia; non enim huiusmodi artificium sordidum videtur, aut inhonestum in illis partibus, cum per unum equum, et quattuor famulos, seu operarios fiat, et non per ipsos Clericos ».

[24] Cf. etiam responsum eiusdem S. C. Conc.: « An Sacerdotes, et Clerici Beneficiati possint operas suorum bovum, quos pro laborandis praediis suis Patrimonialibus, seu Beneficialibus retinent, dum sibi vacant, aliis locare pro certa mercede absque periculo spolii, et poenarum Clericis negotiatoribus impositarum? » — « Affirmative, si tot iuga bovum retineantur, quot sunt pro praediis necessaria, vel si ultra necessitatem culturae praediorum, vel alio licito modo tenentur, per Doctrinam Molinae loco infra citando ». (« Quoad boves emptos, negative, quo vero ad boves proprios affirmative ». FERRARIS l. c. 321 s.).

Haec Molinae distinctio ratio fuit pro aliquibus auctoribus restringendi aliquomodo legitimitatem locandi iumentum vel currum proprium. Dicebant enim, si nimis saepe currus vel iumentum ematur, ut locari possit, negotiationem hanc esse prohibitam. Hi

tur hic accessorie supposito, quod principaliter opera propria typis imprimuntur et ad hoc faciendum generatim tempus laboribus destinatum impletur. Admittuntur igitur opera aliorum ad typographiam, quae legitime habetur, modo frugifero gerendam. Accedit ratio iustitiae et caritatis socialis exercendae, quae exigit, ut operarii constanter habeant laborem et mercedem.

Quid autem, si typographia unice aut principaliter destinetur ad imprimenda typis opera aliorum pro pretio iusto solvendo? Nec hic videtur obstare aliquid, si labores fiant exclusive aut fere exclusive per membra talis personae moralis ecclesiasticae. In hoc enim supposito agitur de propria industria, cuius fructus pro iusta compensatione aliis offeruntur.

Si labores fiant exclusive aut maiore ex parte per operarios conductos, tamen non videtur affirmari posse agi de negotiatione quaestuosa, industriali sensu lato, prohibita. Nam hic intercedunt res propriae omnino necessariae ad typis imprimenda opera, i. e. ipsae machinae etc., quarum usu opera typis imprimuntur. Labor operariorum conductorum est *unum* tantum elementum in toto pro-

---

auctores videntur supponere hic emptiones, quae fiunt pecunia numerata. Si autem habetur capitale stabile ordinatum ad sustentationem, alius omnino est status quaestionis. Negotiationes circa tale capitale stabile constituunt negotiationem oeconomicam. (Cf. notam 19). Cur non pari modo conversio capitalis stabilis in machinas typographicas (vel alia media ad exercendam industriam), ut exercitio earum habeantur media sustentationis, haberi potest negotiatio oeconomica? Negotiatio industrialis ordinata ad procuranda media sustentationis non facile limites relative modestos transcendit.

cessu, quo opera typis imprimuntur, non autem unicum elementum. Agitur hic de exercenda industria similiter ac in societate ferroviaria; non habentur res, quae emuntur, specificantur, venduntur. Agitur igitur de negotiatione industriali sensu stricto, non prohibita ratione sui.

Immo, forte agitur hic principaliter de administratione oeconomica. Si enim persona moralis quaerens fundationem bonis suis acquirat machinas, machinae sunt ad modum fundationis similiter ac antiquitus agri vel praedia. Machinis acquisitis omnia ita ordinantur, ut machinae sint frugiferae, sicuti nihil obstat, quominus agri proprii colantur per operarios conductos et fructus dein vendantur.

Si insuper etiam ipsa membra personae moralis partem habeant in laboribus typographiae, externa species negotiationis quaestuosae adhuc minus habetur et quidem eo minus, quo maior est numerus vel influxus qualitativus membrorum in labores technicos typographiae, ita ut eo magis agatur de industria propria.

Verum quidem est exercitium typographiae requirere etiam, partialiter saltem, activitatem, quae materialiter non differat ab activitate exercitata in negotiatione quaestuosa. Attamen haec etiam habentur in cultura agrorum vel praediorum, si hic operarii conducendi sint et fructus dein vendantur. Sicuti cultura agrorum exercitata tamquam administratio oeconomica non mutat naturam iuridicam eo, quod aliqua activitas materialiter quaestuosa accedit, ita nec exercitium typographiae.

Concludendo igitur putamus in exercitio typographiae natura sua iuridica negotiationem quaestuosam formaliter non haberi idque, nisi accedant circumstantiae speciem mutantes (e. g. periculum damni oeconomici relative nimis magni), prohibitum non esse.

b. *Exercitium theatri cinematographici.*

Sat frequenter hodie personae morales ecclesiasticae, e. g. paroeciae, exercent theatrum cinematographicum. A societatibus, quae producunt pelliculas, istae conducuntur et ope earum spectacula instituuntur. Etiam hic varii casus distingui possunt.

Si ipsa persona moralis omnes expensas propriis sumptibus solvit, quin compensatio a spectantibus exigatur, e. g. quoad spectacula pro propriis collegii alumnis, clarum est quaestionem de negotiatione poni non posse. Nec talis quaestio habetur, si spectantes solvere tenentur modicam taxam, quae expensis solvendis destinatur nec expensas notabiliter superet. Etiamsi forte summa pecuniae ex taxis solutis habita in aliquibus spectaculis superet expensas, in aliis spectaculis autem expensas non attingat, quaestio de negotiatione quaestuosa non habetur, dummodo summa ex taxis solutis habita expensas notabiliter non superet singulis mensibus aut singulis annis. In omnibus hisce casibus enim spectacula non instituuntur per modum quaestus, quia lucrum ex supposito non intenditur nec habetur.

Non raro autem status quaestionis est potius hic: Instituuntur spectacula cinematographica

propter finem aliquem culturalem aut pastoralem, i. e. ad praebendam instructionem aut ad opportunitatem praestandam relaxationis moraliter bonae aut saltem indifferentis, ne habeatur ratio vel praetextus adeundi spectacula sub respectu morali non indifferentia. Deficiente tali fine culturali vel pastorali spectacula cinematographica omnino non instituerentur a tali persona morali ecclesiastica, quae tamen non intendit renuntiare lucro, quod hac occasione facile haberi potest. Quaeritur, utrum tali agendi modo negotiatio formaliter quaestusa habeatur necne.

Respondendum videtur negative. Imprimis enim in hoc supposito principaliter habetur activitas culturalis aut pastoralis; activitas materialiter negotiatoria respectu finis principalis est accessoria. Dummodo talis activitas maneat infra limites modestos, non videtur illam esse prohibitam. Manet autem haec activitas modesta, si lucrum non qua tale, in mensura quam maxime possibili (etsi infra limites iustitiae) intendatur, sed tantum e. g. ut convenientem compensationem habeant illi, qui tempus impendant pro instituendis spectaculis, aut ut alia instituti vel paroeciae opera modicum subsidium habeant etc. Natura iuridica huius agendi modi est eadem ac in scholis ad artem discendam, quae favorem habent ex laboribus alumnorum. Similitudo habetur etiam cum collegiis, quae in commodum propriorum alumnorum vendunt ipsis libros, diaria etc. pretio usuali. Proinde agitur de activitate culturali, pastorali, quae non fit prohibita eo, quod accedit activitas materialiter quaestuosa.

Tandem haec activitas materialiter quaestuosa non videtur constituere negotiationem industrialem sensu lato, prohibitam. Nam institutio spectaculorum de se est exercitium industriae fere eodem modo, quo societas ferroviaria industriam exercet praestando servitia iter agentibus. Sicuti hic non obstat, quod conducuntur operarii, ita quoad instituenda spectacula cinematographica non obstat, quominus ipsae pelliculae conducantur. Praeter pelliculas enim ad instituenda spectacula requiritur atrium, apparatus proiectionis etc. Conductio pellicularum est *unum* elementum ad instituenda spectacula, non autem unicum elementum necessarium. Proinde agitur de industria sensu stricto, non prohibita. De cetero in pelliculam conductam spectantibus ius nullum conceditur. Non habetur igitur casus, quod ius acquisitum in usum pelliculae a persona morali ecclesiastica alienatur totaliter aut partialiter; nec dici potest hoc ius acquisitum habita aliqua specificatione aliis concedi, quia in pelliculam spectantes nullum acquirunt ius.

Concludendo igitur dici potest: Exercitium theatri cinematographici, quod limites modestos non excedit, negotiationem quaestuosam de se non videtur constituere, idque, nisi accedant circumstantiae speciem mutantes, prohibitum non esse [25].

---

[25] Non potest appellari contra hanc conclusionem ad Instructionem S. C. Rel. (Istruzione circa l'apostolato cinematografico, 11 maggio 1953. Commentarium pro Religiosis 1953, 254 ss.). Nam haec instructio:

1) non est officialiter promulgata in Actis Apostolicae Sedis;
2) data est in lingua Italica. Propter has rationes praesumi

CONCLUSIO

Vita oeconomica ultimis saeculis subiit tales mutationes, ut principia de negotiatione personis ecclesiasticis prohibita applicanda nunc sint ad conditiones oeconomicas omnino differentes a conditionibus saeculorum praeteritorum. Cum iurisprudentia traditionalis tales conditiones temporis praeteriti supponat, indiget magna ex parte adhuc applicatione ad conditiones vitae oeconomicae hodiernae. Haec applicatio tunc tantum legitime procedit, si demonstretur paritatem adesse quoad elementa iuridica inter statum quaestionis temporis anteacti et hodierni.

Ita, inter alia, attendi debent mutationes, quae habentur quoad aestimationem ethicam negotiationis in genere, quoad aestimationem laboris manualis, quoad tendentiam iam efficacem ponendi contractum societatis loco contractus conductionis operae (persona moralis ecclesiastica industriam exercens cum operariis non conductis, sed contractu societatis ligatis, non haberet lucrum ex iure conducto in operam), quoad modum habendi dominium (e. g. conductio domus in dominio societatis publicae vel societatis actionariorum potestne simpliciter aequiparari conductioni domus, quae

---

debet Instructionem hanc fundari in circumstantiis particularibus, specialibus illarum religionum, quibus mittebatur.

De cetero convenit, ut theatrum cinematographicum personae moralis ecclesiasticae sit sub speciali vigilantia auctoritatis ecclesiasticae. Quapropter obligatio petendi licentiam ad exercendum theatrum cinematographicum est vere fundata.

est in dominio privato?), quoad modum, quo personae ecclesiasticae necessaria subsidia acquirere possint etc. Cum tales mutationes hodie interdum fiant magna celeritate, principia debent esse talia, ut facile ad conditiones oeconomicas reales applicari possint. Illa quae in iurisprudentia traditionali habentur de legitimitate collocationis frugiferae capitalis, de negotiatione oeconomica, de negotiatione industriali, pro tali applicatione in quaestionem venire videntur, exclusa simpliciter tantum negotiatione proprie dicta seu mercatura.

Haec conclusio suum momentum et suum pondus retinet, etiamsi forte demonstrari possit, quod solutiones hic datae quoad quaestiones concretas indigent aliqua modificatione. Non est tam singularis quaestio, quae iure meretur et exigit attentionem et studium, quam potius iusta et aequa applicatio principiorum ad conditiones vitae socialis hodiernae.

WILHELMUS BERTRAMS, S. I.

SIMULATIO ET DISSIMULATIO IN SACRAMENTORUM MINISTRATIONE

II. Alius actus [18] de cuius indole morali disceptare solent moralistae est: ex conventione facta sacerdos Hostia consacrata signum crucis facit ante os viri in scamno communionis genuflectentis; deinde Hostiam non praebet, sed in pyxidem reponit.

Hic habetur actus quo sola imitatur sacramenti *administratio,* non eius confectio. Iudicium de indole morali huius actus ferre conantes, cum maxima cautione et circumspectione procedere nos oportet, quoties instituamus comparationem inter hunc actum et casus supra tractatos. Agitur enim de Sacramento SS. Eucharistiae, quod sub pluribus aspectibus valde differt ab aliis sacramentis, praecipue ad administrationem quod attinet. Haec enim fit post confectionem Sacramenti iam absolutam antea.

Tractantes casum directe in se seu quin instituamus comparationes, praeprimis notandum est plures moralistas recte dicere hic haberi actum qui ponitur ne alii percipiant hanc personam non recipere Sacramentum; actum quo absconditur omissio administrationis sacramenti. His autem dictis facile decipimus nosmetipsos et alios. Cum sint vera, sed *non ad rem,* ansam praebent errandi

---

18 Prima pars huius disceptationis habetur in fasc. I p. 46-65.

Nam id de quo dependet indoles moralis actus, de quo disceptamus, non est utrum actus fiat ad abscondendam omissionem administrationis sacramenti seu utrum actus fiat ne alii percipiant aliquem non recipere sacramentum. Indoles moralis dependet ab alia re, scilicet *a medio* quo hic finis in casu attingitur et ad quem actus immediate ordinatur. Etenim, sicut iam supra notavimus, duplici modo obtinere possum ut alii non percipiant aliquem non recepisse sacramentum scilicet aut *simulatione* administrationis (receptionis) sacramenti aut *aliis actibus,* quibus causatur non ut alii in errorem ducantur sed ut nihil sciant circa administrationem (receptionem) sacramenti. Investigandum igitur est non utrum *finis* actus sit occultatio sacramenti non recepti, sed utrum *medium* adhibitum ad finem attingendum sit imitatio (simulatio) sacramenti an aliquid aliud.

Nobis videtur respondendum in casu haberi veram imitationem administrationis (receptionis) sacramenti. Quidquid est de intentione personali (fine operantis) sacerdotis, actus eius natura sua ordinatus est et tendit ad deceptionem positivam; ipse actus natus est inducere omnes percipientes in errorem positivum, quo putant et certi sunt hanc personam recepisse sacramentum (S. Communionem).

Quare nullum dubium nobis adesse potest circa indolem moralem huius actus: ipse est actus intrinsece malus; eodem modo et propter easdem rationes qua imitationes (simulationes) de quibus supra egimus sunt actus intrinsece mali. Habetur actus qui imitatur (simulat), externe serio, actum

a Deo institutum ut significet aliquem effectum sacrum (collationem gratiae sacramentalis huic personae; nutritionem spiritualem huius personae). Actus plene habet malitiam illam specificam, qua imitatio (simulatio) sacramenti est mala. Hoc malum aequo iure inest in imitatione confectionis et in imitatione administrationis sacramenti. Hae duae conveniunt in hac malitia specifica. Differunt tamen in accidentalibus. In imitatione confectionis habetur insuper invalida confectio, saltem saepe. In imitatione administrationis SS. Eucharistiae haec non habetur. In hac autem habetur illa irreverentia specialis quae inhaeret abusui Sacramenti *iam confecti,* iam realiter existentis et quidem huius Sacramenti quod inter omnia est maxime sanctum, utpote continens realiter ipsum Corpus Christi. Irreverentia seu sacrilegium hic videtur esse et gravissima et intrinseca.

Haec diversa indoles moralis explicat quare auctores qui putant hanc administrationem Eucharistiae esse casum dissimulationis, nihilominus exigant rationem valde gravem ut actus sit licitus. Quare hoc exigunt? Si finis est bonus et medium non malum neque causans aliquem effectum malum seu damnum, quare requiritur ratio gravis ad iustificandum actum? Extrahere SS. Sacramentum e tabernaculo, modo devoto preces et ritus perficere, reverenter accedere ad virum genuflexum et recedere, cum etiam ille vir devote adoret SS. Sacramntum et de cetero nihil facit nisi non recipere Sacramentum, quia non est rite dispositus, in se nihil continet mali. Unde necessitas rationis gravis ut res iustificetur? Responsio alia dari nequit

nisi: quia habetur illud malum, quod est proprium simulationi (comediae, deceptioni) in usu Sacramenti. Hoc malum habetur ubi habetur simulatio. Qui autem erronee putant actum non esse simulationem et ideo non intrinsece malum, nihilominus sponte sentiunt malum simulationis adesse. Et proinde exigunt rationem gravem.

Cum actu confessarii res non ita se habet. Etiam si fere nulla haberetur ratio, etiam si e. g. benedictio daretur mulieri ne alii percipiant quod ipsa usa est iure petendi solam benedictionem (factum, quod aliis abscondere ipsa non desiderat), actus confessarius esset licitus. Propterea nihil mali haberetur si huiusmodi se gerendi modus generaliter praescriberetur et indiscrimatim imponeretur tamquam mos confessariorum. Id autem cum indignatione ab omnibus condemnaretur relate ad sic dictam « dissimulationem » administrationis SS. Eucharistiae. Hic enim habetur illud gravissimum malum morale, quod non *sequitur* ex actu, sed ei *insitum* est scilicet simulatio (deceptio aliorum usu sacramentalis actionis) cum sacramentum non vere administretur. Haec omnia probant actum illum esse veram simulationem sacramenti.

Hoc gravissimum malum perpetratur tamquam medium ad finem bonum attingendum, qui est occultatio sacramenti non recepti apud alios, ad quos non spectat hanc omissionem cognoscere. Scimus autem finem non iustificare media mala. Quapropter concludendum esse videtur huiusmodi modum agendi numquam esse licitum.

Si placeat instituere comparationem inter

modum agendi confessarii de quo supra fuit sermo et modum agendi sacerdotis in dicta SS. Eucharistiae ministratione, apparet essentialis differentia iuxta quaedam elementa accidentialia, quibus conveniunt.

Uterque actus tendit ad eundem finem, qui est bonus: occultatio sacramenti non administrati seu occultatio omissionis et quidem relate ad personas pro quibus rem occultam tenere saltem licitum est, imo communiter optimum et, in quantum fieri potest, obligatorium. Differentia autem essentialis est quod confessarius hoc bonum attingit actu qui, neque ex se neque in circumstantiis concretis, est aut apparet actus *absolutionis*. Qui percipit hunc actum nequit prudenter concludere ad absolutionem datam. Minister SS. Eucharistiae e contra hoc facit actu, qui in circumstantiis et etiam secundum speciem est et externe apparet collatio sacramenti: « dare S. Communionem ». Quapropter prudens homo percipiens modum agendi huius sacerdotis certe se scire putat et nequit in dubio vocare hanc personam revera accepisse SS. Eucharistiam; esse nutritam Corpore Christi. En essentialis differentia.

III. Eandem indolem moralem habent actus quibus recipiens imitatur sacramenti receptionem ac actus qui sive natura sua sive in circumstantiis concretis sunt et apparent receptio sacramenti.

Huiusmodi actu, ab ipso solo peracto, recipiens communiter erit reus invalidae confectionis sacramenti, cuius est causa, et hoc sive sacerdos id sciat seu animadvertat, sive iste rem nesciat

(sive res fiat ex conventione inter sacerdotem et subiectum sive non). Etiam si haec invalida confectio absit, sicut in SS. Euchcaristiae sumptione simulata, subiectum, agens ex conventione cum sacerdote praevie facta, committit peccatum iam ipsa conventione, qua fit particeps mali a sacerdote perpetrandi, scilicet simulationis administrationis SS. Eucharistiae.

Sed etiam ipsa sola imitatio receptionis sacramenti videtur esse intrinsece mala eadem ratione et eodem modo quo imitatio confectionis et administrationis. Irreverentia enim et sacrilegium proprie consistit in abusu sacramenti seu signi significantis rem sacram et a Deo ad hoc instituti. Abusus est actus quo significatur et suggeritur collatio gratiae, quae revera non confertur. Hoc malum eodem sensu invenitur in simulatione confectionis, administrationis et receptionis sacramenti.

Doctrina ad casum applicatio

Hisce dictis circa doctrinam cuius applicatione obtinetur solutio casus, quaerendum nunc est: ad quamnam actuum categoriam pertinet actus Alberti, in casu practico proposito?

Certissime non cadit sub II et III (vide pag. 54). Etenim, respicit confectionem-administrationem, non sive solam administrationem sive solam receptionem alicuius sacramenti. Cum IV agat de uno solo actu tantum alius speciei, actus Alberti pertinet ad actus, qui sub I tractantur. Cum autem actus sub I comprehensi iterum subdividuntur

in diversas categorias, ulterius quaerendum est sub qua istarum categoriarum sit ponendus. Tunc statim excludi possunt I, a et I, b, 1 et 2 et in alio extremo I, c. 2. Circa hoc non datur ne ratio quidem dubitandi. Remanet igitur investigandum, utrum actus Alberti sit actus quo materia aut forma aut utraque sacramenti Extremae Unctionis habeatur sed mutilata seu mutata, ita ut sacramentum non valide conficiatur (b. 3.) an potius actus qui etsi non sit pars componens signum externum sacramenti, tamen est actus qui speciem seu figuram praebet actus sacramentalis, nullam habens utilitatem et sensum, praeter quam *speciem* actus sacramentalis (c. 1.).

Pro iudicio ferendo de moralitate actus nihil refert utrum actus trahatur sub hanc vel illam categoriam. Ipsae duae categoriae iam non sunt limitibus exactis separatae. Meo iudicio actus sacerdotis, qui ad lectum moribundi vocatus tam a moribundo ipso tam a parentibus et una sola ratione, scilicet ut administret cum aliis sacramentis etiam Extremam Unctionem, stola indutus et vas olei sacri in manibus gestiens, signa crucis pollice facit in moribundi oculis, auribus, etc., est actus, qui est materia sacramenti, non totalis sed partialis. Huiusmodi actus enim numquam fit nisi in administratione huius sacramenti. Illum autem saltem figuram seu speciem habere huius sacramenti et nonnisi *propter hanc similitudinem* hic et nunc perfici, videtur certum et evidens [19].

---

[19] Si huiusmodi actuum positio non esset simulatio sacramenti, quaestio de simulatione redderetur practice inutilis. Fere numquam

Quapropter actus iste est intrinsece illicitus, propter rationes supra expositas. Nullus finis eum unquam potest reddere licitum.

Doctrina manualium

Peracto studio comparativo-critico capitulorum, in quibus moralistae doctrinam circa simulationem sacramenti proponunt, error a Bogsrucker commissus mihi apparet habere explicationem. Quilibet conatus ex hisce capitulis aliquam doctrinam componendi cohaerentem fallit. Apparet verum esse quod scribit Pruemmer (Theol. Mor. III, n. 81): « etsi omnes theologi consentiant fictionem sacramenti numquam esse licitam, tamen multum laborant in definienda illa ». Paulum tamen utile videtur omnes consentire circa malitiam alicuius actus, si nesciant de quo praecise actu consentientes loquuntur. Tunc enim consentiunt potius *verbis,* non re. Neque nos multum iuvat scire simulationem sacramenti esse intrinsece malam quamdiu nesciamus quid sit simulatio sacramenti. Agitur enim de conceptu non ita simplici, ut eius notio saltem pro fere omnibus casibus sufficienter habetur apud omnes homines, sicut notio occisionis, furti, adulterii, etc.

Defectus principalis parensque et causa aliorum, est hic: in elaboranda seu aedificanda doctrina theologi non prius processerunt *e principiis*

---

ad aliquem finem consequendum (malum vitandum) necessarium est ita agere ut ponatur sive tota materia sive tota forma sacramenti. Minima pars semper omitti potest, quin aliquis hoc percipiat.

doctrinae moralis, ratiocinatione, post debitas distinctiones factas, ex principiis deducentes doctrinam; et deinde, seu hoc labore prius absoluto, progressi sunt ad contemplandos casus practicos et speciales. Doctrina hodie proposita et diffusa pro notabili parte aedificata est sub influxu *unius casus singularis,* scilicet actus confessarii agentis ut evitet ne personae circumstantes percipiant absolutionis denegationem. Iste actus prout describitur est evidenter licitus. Ad hanc autem liceitatem probandam auctores recurrerunt ad doctrinam de imitatione sacramenti et cum in hac re plura sint illicita, posuerunt distinctionem nunc traditionalem: « *simulatio - dissimulatio* ». Sed ille actus confessarii non est vera imitatio sacramenti neque dissimulatio sacramenti seu actus quo aliquid sacrum imitatur. Dissimulatio hic sumitur in sensu suo classico, qui est « abscondere » seu « occultare ». Est actus quo aliquid absconditur pro aliis. Sed terminus sic sumptus non directe opponitur simulationi sacramenti seu rei sacrae. Propterea distinctio et oppositio: « *simulatio - dissimulatio* » est inexacta et apta ad evocandas confusiones.

Prima consequentia fuit quod moralistae coeperunt doctrinam sic proponere ac si actus, de quibus agitur, essent *aut* casus simulationis *aut* casus dissimulationis. Sed hoc continet periculum errandi. Non sufficit probare aliquem casum esse casum *dissimulationis* seu quo absconditur aliquid (scilicet denegatio sacramenti), ut habeatur probatum non haberi casus *verae simulationis.* Nam notum est communiter nullum medium esse ma-

gis efficax ad abscondendam veritatem quam mendacium (si de verbis agatur) et simulationem (si de factis). Ni fallor, disceptatio quaestionis sub hac distinctione, quae praedominat in quolibet tractatu, fuit et est causa gravium difficultatum et confusionis. Ut fructuose procedatur doctrina tractanda est sub simplici formula: quid est simulatio sacramenti, quibus modis fit; estne licita? Sicut nos supra fecisse putamus. Elaborata hac doctrina, demonstrandum est casum notissimum confessarii non esse casum simulationis sacramenti. Est abscondere quod est abscondendum et *medio licito*. Deinde, nisi casus iam sub ipsa simulatione sit tractatus, agendum est de actu sacerdotis qui fingit dare S. Hostiam, et de eius indole morali sub luce doctrinae iam elaboratae de simulatione sacramenti.

Secunda consequentia fuit difficultas seu melius impossibilitas elaborandi rectam definitionem notionum adhibitarum, notatim dissimulationis. Dissimulatio enim non videtur esse species *moralis* et proinde non habet definitionem.

Alii defectus plus minusve graves breviter designare nos iuvat. Usus verbi « *actus sacramentalis* », quin exacte statuatur *quid sit* actus sacramentalis, si agatur de sacramento invalide confecto vel administrato. Praecipue necessarium fuisset indicare utrum etiam *pars* actus, quae est alicui sacramento omnino propria sit actus sacramentalis [20]. Usus distinctionis « simulatio formalis

---

[20] Non tantum tota materia sed etiam pars eius in se sola sumpta non raro est actus, qui nonnisi in huius sacramenti confec-

et simulatio materialis », in sensu omnino improprio et quod gravius est, omnino alieno ab usu communi in ipsa theologiae moralis scientia. Nam proprie agitur de distinctione inter « directe » et « indirecte » tamquam duo modi decipiendi alios [21].

Defectus hic designati tractatus in manualibus reddunt ita vagos et incompletos, ut fere impossibile sit cum aliqua certitudine respondere ad quaesitum: utrum actus Alberti, de quo agitur in casu practico proposito, in doctrina alicuius determinati moralistae sit actus intrinsece illicitus an solummodo per se illicitus sed licitus si adsint rationes graves et proportionatae.

---

tione et administratione ponitur, e. g. pollice signa crucis signare oculos, aures, nares, etc. personae graviter aegrotantis. Nonne merito vocatur actus sacramentalis, etsi non est materia *completa* sacramenti? Nullus datur catholicus qui videns puerum sic agentem cum amico suo iacente in sede longa, non statim dicet: vide, isti ludentes agunt sacerdotem conferentem extremam unctionem. Ratio est quia omnes hunc actum intelligunt actum sacramentalem. Actus pueri non differt ab actu sacerdotis eumdem actum peragentis in nostro casu practico quia ille actus est sacramentalis, actus sacerdotis non. Differentia est alia. Isti duo actus eodem modo differunt, sicut actus sacerdotis vere et valide administrantis baptismi sacramentum differt ab actu viri, qui in theatro alicui confert baptismum, effundens aquam et pronuntians formam.

21 Cum Aertnys-Damen et Cappello opponunt simulationem formalem tamquam actum quo deceptio *intenditur* ut finis et simulationem materialem tamquam actum quo deceptio *permittitur* tantum, Wouters duos casus opponit tamquam actum quo deceptio *intenditur* ut finis et actus quo deceptio *eligitur* ut medium. Discrimen sat grave proprie in moralibus, cum sciamus medium electum esse *directe* voluntarium; id autem quod permittitur tantum esse *indirecte* voluntarium.

Deinde auctoribus ut Aertnys-Damen et Cappello quaestionem obiicere possumus: « et quid, si deceptio neque intendatur ut finis neque permittatur tantum, sed eligatur ut medium? ».

Meo iudicio actum esse intrinsece malum et numquam licitum cum certitudine deduci potest ex iis, quae scribuntur a Merkelbach (Theol. Mor. III, n. 90), Pruemmer (Theol. Mor. III, n. 81) hic enim excludit a dissimulatione et comprehendit sub simulatione actum quo ipse recipiens decipitur et hoc verificatur in casu Alberti [22]; Wouters. (Theol. Mor. II, 18, 2 et 3: minimum quod dici potest est quod actus cadit sub n. 18, 3 et tunc est mendacium; quod est actus intrinsece malus).

Ex iis, quae quidam alii scribunt idem deduci potest cum probabilitate.

Dr. L. Bender. O. P.

---

[22] Etiam propter alia, quae Pruemmer docet, actus Alberti apparet in eius doctrina esse actum intrinsece malum.

MONUMENTA

4 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii
(*AAS.* XXXVIII [28 feb. 1956] p. 95)

I

DECRETUM

PROSCRIPTIO LIBRORUM

Feria IV, die 7 Decembris 1955

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales, rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito Consultorum voto, damnarunt atque in indicem librorum prohibitorum inserendos mandarunt libros a Doct. A. HESNARD conscriptos:

1. *Morale sans peché,* Presses Universitaires de France, Paris, 1954;
2. *L'univers morbide de la faute,* ibidem, 1949;
3. *Manuel de sexologie normale et pathologique,* Payot, Paris, 1951.

Feria autem III (loco V), die 10 Ianuarii 1956, Ss.mus D. N. D. Pius Divina Prov. Pp. XII, in Audientia E.mo Domino Card. Pro-Secretario Officii concessa, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 23 Ianuarii 1956.

ARCTURUS DE JORIO, *Notarius*

II

DECRETUM

PROSCRIPTIO LIBRI

Feria IV, die 8 Februarii 1956

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales, rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito Consultorum voto, damnarunt atque in indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur:

ALDO CAPITINI, *Religione Aperta,* Guanda, 1955.

In Audientia autem diei 9 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius Divina Providentia Pp. XII relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 11 Februarii 1956.

ARCTURUS DE JORIO, *Notarius*

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

CASUS CUM CANONE 209 CODICIS I. C. CONNEXI SEU DE IURISDICTIONE AB ECCLESIA SUPPLETA

I

CIRCA POTESTATEM ADMINISTRANDI CONFIRMATIONEM

1. *Species facti.* Ex.mus Vicarius Apostolicus N., iuxta facultatem N° 3 Formulae maioris, Vicario suo Delegato concessit potestatem confirmandi in quibusdam provinciis civilibus sui Vicariatus, nempe A. et B. Vicarius Delegatus, Rev. Pater T., cum quietis causa in pago natali versaretur (qui est extra provincias supra dictas, sed intra fines Vicariatus Apostolici N.) quibusdam ibi poscentibus sacramentum Confirmationis administravit.

Ex.mus Vicarius Apostolicus de validitate harum Confirmationum dubitavit his fretus rationibus: A) facultas n. 3 tribuit Ordinariis potestatem: « concedendi facultatem administrandi Confirmationis Sacramentum uni vel alteri ex suis sacerdotibus ..., in quacumque regione a sua residentia longe dissita etc. ». Vicarius Apostolicus concessit quidem hanc potestatem Rev. Patri T. pro pro-

vinciis civilibus A. et B., at intra earum fines non invenitur pagus natalis Rev. Patris T. B) Iuxta facultatem n. 52, facultatibus seu permissionibus quas, intra limites in praecedentibus articulis expressos Vicarius Apostolicus concedere potest, certe ipse personaliter uti potest. At non alii Ordinarii, qualis est Vicarius Delegatus: nam persona designata (« personaliter ») in ea facultate, est *tantum* Vicarius Apostolicus. C) Etiam si Vicarius Delegatus habeat facultatem « concedendi potestatem administrandi Sacramentum Confirmationis » iuxta n. 3, tamen non apparet quod ipse habeat facultatem administrandi, nisi eidem expresse concedatur. D) Tandem non apparent alii tituli, vr. gr. error communis, quibus potestas administrandi Sacramentum Confirmationis sustineatur in casu.

Quaeritur: an confirmationes praedictae valide sint, necne.

2. Ut melius res intelligantur transcribimus heic, ex Facultatibus Decennalibus Ordinariis Missionum a S. C. de Propaganda Fide concessis, numeros sequentes, qui ad rem faciunt:

« FORMULA MAIOR 3. Concedendi facultatem *administrandi Confirmationis Sacramentum* uni vel alteri ex suis sacerdotibus (i. e. omnino paucis et ita ut in eadem statione unus tantum sacerdos hanc facultatem habeat), in quacumque regione a sua residentia longe dissita, absente tamen quocumque Episcopo, servata Instructione " De Sacramento Confirmationis " in Appendice Ritualis Romani inserta.

52. (Pro ipso Ordinario) *Utendi* ipse *personaliter,* in iisdem tamen adiunctis, *facultatibus* seu permissionibus, quas, intra limites in praecedentibus articulis expressos, concedere potest ».

Iuxta Animadversiones (I) ipsius S. Congregationis de P. F. agitur de facultatibus quae subdelegari non possunt. Cfr. *Monitor Ecclesiasticus,* 1950, pp. 353-370.

3. Primum, certa ab incertis secernere oportet. R. P. T., Vicarius Delegatus, habebat sibi concessam a Vicario Apostolico facultatem administrandi Sacramentum Confirmationis pro provinciis civilibus determinatis, non pro aliis. Scilicet Vicarius Apostolicus usus est facultate contenta in N. 3 Formulae Maioris, determinando usum facultatis *quam concedebat* R. Patri T. in solis provinciis civilibus A. et B. Cum pagus natalis Vicarii Delegati extra ambitum illarum provinciarum esset, manifestum est subdelegationem ad casum nihil profuisse; ex hac parte administratio Confirmationis inefficax omnino fuit.

4. Numerus 3 Facultatis maioris tribuit *etiam* Vicario Delegato potestatem *concedendi* facultatem administrandi Confirmationis sacramentum. Quod iterum certum est ex Notificatione, quae praecedit facultatibus quas S. C. de P. F. concedere solet Ordinariis in Missionibus: « Quae facultates generales ... competent quoque Vicario Generali dioecesis et Praelaturae Nullius (can. 66 § 2) ac *Vicario Delegato* in Missionibus, exceptis

excipiendis »[1]. Inter excipienda, certo non est facultas in n. 3 contenta.

Sed aliud est potestatem habere *concedendi* facultatem administrandi Confirmationem, et aliud ipsum Vicarium Delegatum *habere* ipsam facultatem. Ratio distinctionis in ipsa Formula praebetur: ubi in n. 52 (maioris) « pro ipso Ordinario » facultas datur « utendi ipse *personaliter*, in iisdem tamen adiunctis, *facultatibus* seu permissionibus, quas intra limites in praecedentibus articulis expressos, concedere potest ». Disputatum equidem est utrum nomine Ordinarii, in titulo « Pro ipso Ordinario » veniat et Vicarius Delegatus: quibusdam affirmantibus (Stanghetti, Vromant), plerisque negantibus (Paventi, Iglesias, Vermeersch).

Sententia affirmativa nititur hoc simplici argumento: nomen Ordinarii, ubi lex non distinguit, pro omni Ordinario valet. Atqui Vicarius Delegatus est Ordinarius. Iuxta hanc sententiam, facultas n. 52 contenta, concessa intelligi deberet Vicariis Delegatis. Si haec sententia esset certa, Vicarius Delegatus certo administrare Confirmationem intra limites iuris posset: in casu nostro R. P. T. valide administrasset sacramentum Confirmationis in casu.

At non obstante affirmatione, quod Vicarius Delegatus habet potestatem ordinariam (et dubium, si quod erat, in litteris S. C. de P. F. N. 4226/37, solutum est: iurisdictio Vicarii Delegati

---

[1] Cfr. Paventi X, in *Monitor Ecclesiasticus*, l. c., p. 374, et *Brevis Commentarius in facultates SCDPF*, p. 15.

est ordinaria)[2] non inde sequitur attributionem facultatum in Formulis « Pro ipso Ordinario » concessarum spectare ad Vicarium Delegatum. Sic cl. PAVENTI (*Breviarium iuris missionalis*, p. 37-38), qui potestate ordinaria Vicarium Delegatum gaudere non dubitat, facultates quae in formulis « Pro ipso Ordinario » concessae dicuntur, Vicario Generali aut Delegato non competere mordicus tenet. Ex dubio saltem iuris, sequitur Confirmationes in casu dubias saltem fuisse.

5. Sed dicitur: in dubio positivo et probabili sive iuris sive facti iurisdictionem supplet Ecclesia (can. 209). Cum agatur de potestate *necessario* accipienda ad administrandum sacramentum Confirmationis, primum determinari debet, qua potestate simplex sacerdos confirmat, sive quid ei confertur, cum accipit potestatem confirmandi.

6. In hac re bene distinguendum est duplex assertum: primum, Romanum Pontificem actum iurisdictionis exercere dum simplici sacerdoti potestatem confirmandi confert; alterum, qua potestate praeditus minister extraordinarius confirmet.

Natura actus Summi Pontificis concedentis facultatem esse actum iurisdictionis Pontificis, adeo videtur clara ut nemo iam de ea dubitare videatur[3]. Nam iuxta communem theologorum sen-

---

[2] *SCDPF*, Epistola diei 16 Novembris 1937, in PAVENTI, l. c., p. 89-90.

[3] Cfr. BENEDICTUM XIV, *De synodo dioecesana*, lib. 7, c. 8.

tentiam Papa electus, at nondum Episcopus, potest conferre potestatem confirmandi et concessio facultatis non est actus ordinis sed iurisdictionis ipsius Romani Pontificis [4]. Cum agitur de eo quod Ecclesia ad normam canonis 209 supplere deberet, nempe de iurisdictione supplenda, haec manifeste non ad iurisdictionem Romani Pontificis se refert, sed ad potestatem qua utitur simplex sacerdos in confirmando.

7. Unde sensus quaestionis deberet esse: illa potestas quae simplici sacerdoti conceditur ad confirmandum, supplebitur ab Ecclesia in conditionibus canonis 209? Sunt quidam qui quaestionem hoc modo proponunt: in dubio positivo et probabili habitae delegationis vel concessionis vel comissionis vel mandati (quocumque verbo actus Papae describatur) suppletne Ecclesia hunc Pontificis actum, ita ut commissio sit certa vel potestas necessario habenda, quaecumque sit sive iurisdictionis sive alterius ordinis, sit certa? A quibusdam hic modus proponendi problema non admittitur. Hi enim putant potestatem ipsam confirmandi in suo complexu i. e. in quantum vel a lege vel ab indulto concessam, esse naturae iurisdictionalis vel saltem quid mixtum ex potestate ordinis quae habetur et ex potestate iurisdictionis.

Cardo igitur quaestionis videtur esse hic:

---

[4] Cfr. SUAREZ F., *Commentaria in tertiam partem D. Thomae*, disp. 36, sec. 1, 2. ONCLIN W., *L'administration du sacrement de la confirmation en cas de danger de mort*, in *Ephemerides Theologicae Lovanienses*, t. 25 (1949) p. 346; MOSTAZA A., *El problema del ministro extraordinario de la Confirmación*, p. 508.

quam potestatem simplex sacerdos in confirmando exerceat.

8. Qua de re diversae sunt sententiae, quae suas quaeque habent difficultates, et nulla est, quae ab omnibus sit recepta [5].

Prima sententia tenet simplicem sacerdotem qui Sacramentum Confirmationis administrat, potestate iurisdictionis, non potestate ordinis confirmare. Haec sententia a quibusdam sustinetur vel sustenta fuit; at pauci sunt, qui hodie eam defendunt. Si haec sententia vera esset, abs dubio in casu nostro canon 209 suam haberet efficaciam, cum de dubio positivo et probabili agatur, an Vicarius Delegatus potestatem confirmandi habeat.

Ad eamdem forsitan conclusionem deveniri posset in altera sententia, quae dicit actum confirmandi valide solum erga subditos exerceri posse et proinde ministrum, quoad hunc actum, superiorem eius quem confirmat esse debere. Hanc superioritatem, dicitur, omnes episcopi habent, simplici vero presbytero confertur Summi Pontificis voluntate. Ita presbyter confirmat potestate ordinis, in ordinatione presbyterali acepta. Cum ergo potestas collata a Summo Pontifici sit alterius ordinis, nempe iurisdictionis, suppleri censenda est ad normam canonis 209. At etiam haec sententia singularis dicenda est.

Communior opinio est quae Suarezio adscribitur. Simplex sacerdos confirmat vere potestate

---

5 Cfr. LENNERZ H., *De sacramento confirmationis*, pp. 117-120; MOSTAZA A., l. c., pp. 301-304; BAISI C., *Il ministro straordinario degli ordini sacramentali*, pp. 128 s.; 157.

ordinis, sed non in quantum ea colata fuit ordinatione sacerdotali, sed quatenus ex voluntate Summi Pontificis haec potestas ordinis nunc se *extendat* etiam ad administrandum sacramentum confirmationis. In hac sententia applicatio canonis 209 exclusa videtur [6].

9. Auctores moderniores rem alio modo concipiunt. Cl. ONCLIN l. c. [7] contendit applicationem canonis 209 hoc argumento ductus: « Sans doute, comme l'affirme l'éminent canoniste C. ZERBA (*Commentarius in Decretum « Spiritus Sancti munera »*, p. 70), dans l'administration de la confirmation, le prêtre exerce le pouvoir d'ordre que lui a conféré l'ordination sacerdotale. Cependant, le mandat ou la *commission* nécessaire à l'exercice valide de ce pouvoir d'ordre, est, comme l'admet cet auteur, un acte du pouvoir de juridiction, soit un élément juridictionel. Dès lors au cas de doute, ce *mandat* est suppléé par l'Eglise, conformement au canon 209 ». Verum iuxta hunc canonem quod suppletur est *potestas* iurisdictionis quae sit *necessaria* ad validitatem actus *ponendi*. Commissio vel mandatum est *actus* iam iurisdictionem habentis, quae supplenda non est: quod sup-

[6] Bene dicit ONCLIN, l. c., p. 348 n. 49: « Nous ne pouvons suivre (le P. Regatillo) là où il écrit (*Sal Terrae*, 1948, p. 247) que, même si la faculté de confirmer accordée par le Pape au simple prêtre était un pouvoir d'ordre, il y aurait lieu probablement à l'application analogique du canon 209. Le texte du canon est formel; il ne concerne que le seul pouvoir de juridiction ». Cfr. etiam BRIDE A., *Erreur commune et suppleance de juridiction*, in *Revue de Droit Canonique*, 1954, p. 37, n. 72.

[7] Cfr. etiam BRIDE A., l. c., p. 39; MOSTAZA A., l. c., p. 362.

pletur ab Ecclesia est iurisdictio vel potestas aequiparata, quae sit necessaria ad *actum* valide ponendum. Mandatum vel commissio ad confirmationis sacramentum conferendum melius concipitur tamquam *conditio essentialis* validi exercitii potestatis ordinis; scilicet, simplex sacerdos fit minister extraordinarius confirmationis *si* et *in quantum* et *quia* R. *Pontifex* eidem id concedit [8]. Aliis verbis: conditio verificata facit expeditum in casu *usum potestatis ordinis*. Ab existentia vel minus illius conditionis, i. e. mandati, validus usus potestatis ordinis (quae non suppletur) dependet. Canon 209 non supplet *mandata*, sed iurisdictionem. In casu nostro potestas confirmandi etiam in simplici sacerdoti est potestas ordinis et non iurisdictionis [9].

Restat, ergo, ex hoc capite confirmationes, de quibus agimus, saltem dubie validas esse, ob auctorum ea de re discrepantiam.

10. Aliquis hoc alio modo arguere posse videretur: Quidquid sit de natura potestatis cum qua simplex sacerdos confirmationem confert, cum Vicarius Delegatus certo habeat facultatem N. 3 (formulae maioris), ipse concedere potest facultatem administrandi confirmationis sacramentum uni vel alteri ex suis sacerdotibus. Concessio huius potestatis est actus iurisdictionis voluntariae. Ergo Vicarius Delegatus, vi can. 201 § 3, actum iu-

---

[8] Cf. WERNZ F. X., *Ius Decretalium,* III, pp. 826-827; GASPARRI P., *De sacra ordinatione,* n. 799; CAPPELLO F., *De sacramentis,* I, n. 197; ONCLIN W., l. c., p. 346.

[9] Cfr. ZERBA C., l. c., p. 70-71.

risdictionis voluntariae exercere potest in proprium commodum; aliis verbis, facultatem confirmationem administrandi sibi conferre potest. Exercitium vero huius facultatis concessionem sibi factam implicite continet.

Hic modus arguendi, quoad facultatem n. 32 contentam (consecratio calicis et patenae) adhibetur a Vromant, G., *Facultates Apostolicae* Ed. 3ª Paris 1947, p. 96, ubi dicit: « Potestas (conferendi uni alterive i. e. paucis ex suis sacerdotibus in casu necessitatis facultatem consecrandi iuxta formam in Pontificali Romano praescriptam calices et patenas ...) conceditur Ordinario loci atque etiam Vicario Generali seu Delegato. Cum vero Vicarius Delegatus possit alium sacerdotem ad consecrandum delegare, vi praesentis facultatis ipse etiam hac facultate praeditus est censendus. Etenim « quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit » R. I. 67 in VI.

11. Verum argumentatio haec acceptari posse non videtur. Et imprimis, Regula Iuris a Vromant adhibita ad assertum suum probandum, habet sensum prorsus diversum ab eo quem ille tradere videtur. Sensus Regulae sequens est: quod quis facere non potest, quia ei a iure (sive divino sive humano) est prohibitum, neque nomine alterius facere potest, id est, non potest quis facere *per alium*, quod sibi prohibetur, seu in sui favorem, nec ipse personaliter potest facere nomine alterius sibi prohibitum. Et ratio potissima Regulae est: si quod non licet proprio nomine, liceret alieno, admitteretur aliquid una via, quod alia via

prohibetur contra Regulam 84 de R. I. in VI « cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia via non debet admitti ». Vr. gr.: sicut clerico non licet nomine suo exercere mercaturam, sic idem ei non licet nomine alieno; quia excommunicato non licet agere in iudicio proprio nomine, nec alieno seu procuratorio nomine agere licet [10].

Sensus negativus regulae in positivum converti nequit, velut si diceretur: quod per alium potest quis facere, potest facere per semetipsum. Nam praecise sequens Regula 68 explicat sensum proprium praecedentis: potest quis per alium (facere) *quod potest facere per seipsum*: id est, praesupponitur facultas in delegante faciendi per seipsum, id quod obiectum delegationis constituit. Quod est praecise in quaestione, utrum nempe Vicarius Delegatus habeat potestatem administrandi Confirmationem per se, quam tamen aliis concedere potest. Qui autem confirmat ex potestate concessa a Vicario Delegato, non quidem confirmat quia Vicarius Delegatus *suam* potestatem confirmandi delegatam subdelegavit, sed quia accepit potestatem confirmandi ab eo qui unice talem potestatem concedere potest i. e. a Summo Pontifice, non quidem directe et immediate sed indirecte et mediate, nempe per tramitem actus iurisdictionalis Vicarii Delegati.

12. Argumentum, quod desumitur ex can. 201 § 3, non magis probare videtur. Actus quidem con-

---

10 REIFFENSTUEL A., *Ius canonicum universum*. De regulis iuris, n. 84. BARTOCETTI V., *De regulis iuris canonici*, pp. 223-225.

cedendi potestatem administrandi confirmationem tamquam actus iurisdictionis voluntariae considerari potest; quod tamen non ab omnibus conceditur. Sed dato et non concesso, videre restat utrum in casu de exercitio iurisdictionis agatur in proprium commodum. Scilicet, num Vicarius Delegatus possit sibi concedere potestatem administrandi sacramentum confirmationis.

In can. 201 § 3 « exercere potestatem etiam in proprium commodum » significat: auctorem actus iurisdictionis voluntariae posse sibi applicare « commodum » id est bonum, gratiam, utilitatem quam *subditi* ex exercitio actus *percipiunt* et ad quae actus potestatis voluntariae (gratiosae) dirigitur, vr. gr. dispensationes, indulgentiae.

Exercere potestatem « in proprium commodum » est applicare sibi gratiam, utilitatem quam continet ipsa potestatis explicatio. Acquisitio autem potestatis non est exercitium potestatis. Vicarius Delegatus exercet potestatem *conferendo* aliis facultatem ut sacramentum confirmationis praebeant. Terminus seu obiectum illius exercitii potestatis est collatio potestatis aliquid faciendi non sibi ipsi, sed aliis. Dare autem sibi potestatem quam non habet, etsi aliis dare possit, non est dare sibi *gratiam* propriam potestatis. Videretur igitur in hoc casu efficacem esse illam conditionem quam antiqui auctores necesariam putabant pro validitate concessionis: « inter dantem et accipientem debet esse distinctio personalis » [11].

---

[11] Reiffenstuel A., *Ius can. universum*, l. III, t. 7, n. 91. Cfr. 8, X [III, 7].

Concessio potestatis administrandi sacramentum confirmationis, dirigitur ad bonum quod intenditur habendum, id est, ut sacramentum confirmationis *fidelibus* conferatur, non ut Vicarius Delegatus confirmationem sibi administret, quod est absurdum. Nec facile intelligitur quomodo acquisitio potestatis confirmandi « proprium commodum » constituat: nam potestas illa, sicut aliae similes potestates datae sunt ut bonum, gratiam, utilitatem quam continent fidelibus in quos exercentur conferantur. Pleraeque facultates in se habent proprium bonum seu fructum, et ideo aequum est ut collator gratiae eum sibi applicet, nisi ex rei natura, aut ex iure constet applicationem sibi facere non posse.

Videtur autem manifestum non omnes facultates formularum talem conditionem habere. Ut autem Ordinarii (illi nempe de quibus egimus in n. 3) « personaliter » iis gauderent, si natura rei non obstaret, necessaria erat iuris constantia, quae praecise in n. 52 (formulae maioris) concessa est. Sane non intelligeretur haec expressa concessio, si S. C. aestimasset pro omnibus facultatibus seu permissionibus quas Ordinarius concedere potest, usum in proprium commodum esse clarum.

Imo, quia hoc peculiariter de facultate administrandi sacramentum Confirmationis dicendum erat, S. C. de P. F. in epistola diei 30 decembris 1940 Procuratori Generali Soc. Miss. Par. ad Exteros, ut provideret extraordinariis adiunctis Vic. Ap. Nankinensis scribebat: « questa medesima S. C. qualora lo stesso P. Madéore non ne fosse fornito dal suo Vicario Ap. (erat autem Vicarius De-

legatus) intende concedergli e gli concede con la presente lettera tutte le facoltà necessarie compresa quella di amministrare il Sacramento della Confermazione e di esercitare anche quegli atti di giurisdizione per i quali *ex iure* si richiede un mandato speciale » (Cfr. *Commentarium pro Religiosis*, vol. 25, p. 96). Concessio facultatis administrandae Confirmationis in hypothesi non intelligeretur, si Vicarius Delegatus per applicationem Can. 201 § 3 eamdem haberet.

Unde ex hoc quoque capite Confirmationes in nostro casu sunt *saltem* dubiae.

II

Circa assistentiam matrimonialem

1. *Species facti*. Die 23 octobris 1955, R. P. Ioannes duobus matrimoniis, tamquam testis authorizabilis, adstitit in paroecia Sanctae Mariae. Haec matrimonia invalide contracta esse putantur.

Rationes nullitatis sic exponuntur: paroecia Sanctae Mariae est pleno iure unita cuidam Congregationi religiosae; in ea R. P. Iulius ad normam can. 471 *vicarius curator* constitutus erat. Ille, mense iulio eiusdem anni 1955, fuit « ad aliud munus translatus », et nominatus eius Vicarius substitutus R. P. Ioannes. Die 21 octobris 1955 acceptata fuit renuntiatio paroeciae a R. P. Iulio praesentata, et novus nominatus vicarius curator, nempe R. P. Marinus. Cessavit igitur R. P. Ioannes a munere Vicarii substituti eodem die 21 oc-

tobris. Cum ergo hic die 23 octobris duobus matrimoniis adstitit, nullam iurisdictionem paroecialem (cfr. cc. 1230, 1368) habebat, nec inde locum tenebat parochi, nec iura et obligationes eius. Ergo cum matrimonia celebrata non sint coram parocho aut eius delegato nulla sunt dicenda ex defectu formae substantialis.

2. Ad melius rem definiendam nonnullae informationes addi debent. Ex quibus haec resultant: a) excludenda est delegatio quaelibet a novo Vicario Curatore, seu R. P. Marino, R. Patri Ioanni facta; nam illo die 23 octobris, in quo matrimonia celebrata sunt, nondum canonicam possessionem ceperat, et proinde nec habebat iurisdictionem paroecialem quam delegaret; b) excluditur pariter constitutio Patris Ioannis in vicarium oeconomum iuxta can. 472, n. 1: die celebrationis matrimoniorum non erat vicarius oeconomus ab Ordinario loci constitutus; c) P. Ioannes die matrimoniorum ignorabat renuntiationem Patris Iulii ante duos dies, i. e. 21 octobris, ab Ordinario fuisse acceptatam; d) P. Ioannes antequam vicarius substitutus Patris Iulii constitueretur, erat vicarius cooperator ab Ordinario approbatus pro paroecia Sanctae Mariae in qua matrimonia celebrata sunt cum eius assistentia.

3. Ut quaestio de validitate matrimoniorum recte solvatur, opere pretium erit imprimis determinare, quantum poterimus, munus in paroecia illorum praepositorum qui in causa sunt. Insuper videndum erit, si, in casu, validitati non succur-

rat canon 209 Codicis I. C., id est, iurisdictio ab Ecclesia suppleta. Nam die celebrationis matrimoniorum cum assistentia Patris Ioannis, hic etsi forsitan iure matrimoniali destitutus, in conditionibus erat sive erroris communis sive dubii quae pro suppletione iurisdictionis ab Ecclesia in citato canone requiruntur.

De singulis Patribus positionem iuridicam relate ad paroeciam examinabimus.

4. P. Iulius:

Erat vicarius actualis seu curator paroeciae pleno iure unitae domui religiosae. In expositione dicitur « ecclesia paroecialis est pleno iure unita Congregationi religiosae »; et adiicitur: « existit communitas religiosa illius Congregationis eo solo fine constituta ut paroeciae assistentiam spiritualem praebeat, cuius Superior est semper ipsemet Vicarius curator ». Ex eo quod Superior communitatis est semper ipse Vicarius Curator deduci videtur paroeciam esse pleno iure unitam *huic* domui religiosae; quae proinde *domus religiosa* dicenda est parochus *habitualis* (cfr. cc. 452, 471, 1423 § 2).

Istae paroeciae numquam vacant proprie; et constituendus est ibidem « vicarius, qui actualem curam gerat animarum » (can. 471 § 1, 1425 § 2)[12]. Constitutio huius vicarii fit per praesentationem Superioris, cui id ex constitutionibus religionis competat, et per institutionem Ordinarii loci (cc.

---

[12] Cagnasso F., *De potestate Ordinarii loci in Vicarios paroeciales*, p. 7.

456, 471 § 2, 1425 §2). Curam animarum vicarius obtinet a momento *initi officii* (cfr. cc. 188, n. 2; 1095, § 1, n. 1°) cum beneficium ecclesiasticum verum ipse non habeat, cuius possessionem ad normam canonis 641, 1444 capere debeat; sed officium *adire debet* ut constet momentum quo eius iurisdictio paroecialis (singulariter quoad matrimonia) incipiat [13].

5. P. Iulius officium Vicarii Curatoris usque ad mensem iulii pacifice tenuit. Verum nescimus qua de causa, de consensu Episcopi et Superioris religiosi, e paroecia discessit. Certissime illa causa gravis esse debebat, cum Superior *aliud* eidem officium commiserit et ad paroeciam amplius reversus non fuerit. Quod etiam suspicari facit novum illud officium cum officii Vicarii actualis paroeciae incompatibile fuisse: quo in casu forsitan hoc officium ipso facto vacavit ad normam cc. 156 § 2 et 188 n. 3. In hac hypothesi casus tamquam merae absentiae, de qua in can. 465, prospici non deberet.

6. Officio suo Vicarii Curatoris, die 21 octobris 1955, P. Iulius renuntiavit. Quidquid ergo sit de hac renuntiatione, eo vel magis mira quod ille a pluribus mensibus absens erat a paroecia, officium Vicarii Curatoris est amovibile, et ille fuerat ad aliud officium translatus, P. Ioannes iura et officia Vicarii Curatoris assumpserat.

---

13 Partim concordamus cum P. CAGNASSO (l. c.), partim cum P. GOYENECHE, in *Quaestiones canonicae de iure religiosorum*, I, p. 70.

At renuntiatio (si necessaria erat) Patris Iulii quos effectus habuit? Quando vacavit officium Vicarii Curatoris? Duplex hypothesis: vel vacavit per incompatibilitatem ad normam can. 188 n. 3; vel vacavit per renuntiationem ad normam can. 187. Si primum, P. Ioannes constitutus fuit in *Vicarium oeconomum*, vi can. 472, quamvis dictum fuerat eum in Vicarium substitutum constitui.

Nam si revera officium Vicarii Curatoris vacavit, cum paroecia sine praeposito stare nequeat, Vicarius constitutus ad paroeciam interim regendam erat verus Vicarius oeconomus. Si alterum, vacatio officii solum accidit postquam acceptatio renuntianti significata est (can. 190). At de hac gravi circumstantia edocti non sumus; forsitan quia, datis adiunctis, illa renuntiatio concordata fuerat inter Ordinarium, Superiorem religiosum et ipsummet renuntiantem. Quare, acceptationis significatio erat supervacanea: ideo eodem die 21 octobris, quo acceptata est renuntiatio, P. Marinus novus Vicarius Curator constitutus est.

Itaque, Patrem Iulium die celebrationis matrimoniorum nullam iurisdictionem paroecialem retinuisse certum videtur.

7. P. Marinus:

Nominatus est Vicarius Curator die 21 octobris: die matrimoniorum nondum possessionem ceperat. Unde ad normam canonis 461, per analogiam (cfr. can. 20), nullam eo die iurisdictionem paroecialem habebat.

8. P. Ioannes:

Erat Vicarius substitutus vel, ut antea dicebamus, Vicarius oeconomus. Quodsi illum dicimus Vicarium oeconomum, eius officium die 23 octobris, seu in die matrimoniorum nondum cessaverat, quia eo die nondum Vicarius Curator novus possessionem sui officii ceperat. Quodsi dicimus die 21 octobris officium Vicarii Curatoris in paroecia vacasse, videndum est an P. Ioannes qui interea Vicarium substitutum agebat, ipso facto non sit Vicarius oeconomus constitutus dum novus Vicarius Curator possessionem cepisset. Et puto huic quaestioni affirmative esse respondendum. Nam ille Pater Ioannes in tali officio Vicarii substituti ab ipsomet Ordinario, de consensu Superioris religiosi fuerat constitutus: id est, vacatio paroeciae, quae die 21 octobris in hac hypothesi acciderat, illam invenit cum Vicario iure paroeciali pollente. Cum mens Codicis sit, ut paroecia nullo tempore careat praeposito suo, i. e. eo qui iura et officia paroeciali exerceat, manifestum videtur Ordinarium, qui in hypothesi *novit* paroeciae vacationem, eo ipso aestimasse Vicarium substitutum, usque dum novus Vicarius Curator officii possessionem sumpsisset, in cura paroeciali pergere debere, et proinde ad normam canonis 472 n. 1° iam paroeciae vacanti providisse.

9. Neve dicatur: vacatio paroeciae ipso facto Vicarium substitutum suo iure paroeciali privavit; ex alia parte non fuit Vicarius oeconomus constitutus. Ergo subintrare debebat can. 472 n. 2. Proinde paroeciae regimen in casu assumebat do-

mus Superior. Etenim argumentatio fallere videtur; quia, ut supra diximus, Superior domus erat ipse Vicarius Curator; in absentia illius Vicarium substitutum, etiam quoad Superioratum domus, Patri Iulio substitutum fuisse putandum est, quia Vicarius substitutus constitutus fuerat de consensu Superioris maioris ab Ordinario. Praeterea ad normam can. 472 n. 2, ille, qui ibidem designatur, regimen paroeciae assumere *debet* (« assumat interim »); iam vero in casu nullus dicitur Superior domus qui regimen assumere debuisset. Id est, datis adiunctis, verificabatur clausula ipsius canonis: « nisi aliter provisum fuerit », quia iam aderat Vicarius qui iure paroeciali gaudebat.

10. Ad omne dubium tollendum de validitate matrimoniorum in casu, canon 209 succurrere videtur. Nam iuxta interpretationem authenticam Commissionis ad interpretandum C. I. C. diei 26 martii 1952 (AAS, 44 [1952] p. 497) praescriptum can. 209 applicandum est in casu sacerdotis qui, delegatione carens, matrimonio assistit. Iam vero in hac interpretatione evidenter continetur alia, quam Pontificia Commissio subintelligebat. Nempe, qui assistit matrimonio ex iure ordinario (et est casus vicarii oeconomi et substituti) si quacumque de causa illud ius amittit, in errore communi huius deficientiae, Ecclesia supplet facultatem assistendi matrimoniis. In casu nostro error communis manifeste habebatur: in ipso P. Ioannes, qui se putabat vicarium substitutum utpote quod renuntiationem Patris Iulii ignorabat; in paroecianis, qui illum per menses viderant munera paroe-

cialia exercentem, et ignorabant res mutatas esse. Quid magis requiri poterat ut a toto populo parochus diceretur et putaretur?

III

Circa dimissionem religiosorum

1. *Species facti.* Religio quaedam privilegio gaudet religiosos, etiam qui vota perpetua nuncuparunt, ex causis in iure recensitis dimittendi solo decreto Moderatoris Generalis, quod confirmatione Sanctae Sedis non indiget. Moderator Generalis facultatem suam delegavit Patri Provinciali ad dimittendum Antonium, sacerdotem, in quo constabat causas existere iuridicas ad dimissionem sufficientes. Litterae autem ad Antonium dimittendum datae sunt die 20 martii 1953, facultatem continentes quae expleto anno a die concessionis, expirabat. Ex inadvertentia P. Provincialis decretum dimissionis dedit die 30 martii 1954, id est, postquam facultas dimittendi expiraverat. Antonius, religiosus, ignarus talis defectus, decretum dimissionis acceptavit eique subscripsit, et ad saeculum remeavit. Nunc omnes eum retinent tamquam legitime dimissum: ipsemet Antonius, Moderator Generalis, Pater Provincialis, omnes socii Religionis, quin etiam Episcopus eius sacerdotis benevolus receptor ad normam canonis 672 § 2.
Quaeritur: an canon 209 in casu suffragetur.

2. Secundum memoratum privilegium potestas religiosos dimittendi soli Moderatori Generali re-

servata est. Provincialis autem illos dimittere nequit absque facultate a Moderatore Generali habita, aut sine eius mandato. Dimissio habetur quando Provincialis litteras dimissionis dimittendo tradit, easque dimittendus subscribit.

In casu nostro dimittendus litteras dimissionis accepit eisque subscripsit, cum facultas Provincialis dimittendi expiraverat.

3. Dimissio est actus iuridicus Superioris separantis membrum a corpore Religionis. Intentio seu voluntas dimittendi, nisi transeat in actum positivum dimissionis nihil facit, adeo ut illa separatio non accidat nisi *per* talem realem dimissionem, etsi illa intentio vel voluntas dimittendi iam antea efformata sit. Haec intentio ergo semper est revocabilis, et nullum effectum iuridicum parit usque dum actus iuridicus dimissionis perficitur.

Ut ille actus actus validus sit, necesse est, ut, dum ponitur, omnia habeat requisita a iure ad validitatem praescripta, et imprimis in dimittente potestatem dimittendi. Potestas in casu defuit. Nam qui dimisit fuit Provincialis, qui in actu dimissionis carebat ea potestate ob expiratam facultatem. Cfr. can. 207 § 1.

Nec refert quod causas dimittendi perseverarent; quia non invaliditas desumitur ex defectu causarum. Nec valet voluntatem seu intentionem dimittendi a Superioribus, vel ab ipso Moderatore Generali, revocatam non fuisse. Nam aliud est voluntas seu intentio dimittendi et aliud dimissio ipsa. Moderator Generalis non habuit intentionem dimittendi per actum dimissionis ab ipsomet po-

situm, sed intentio eiusdem ad actum transit per concessam facultatem ad normam iuris. « Potest quis per alium quod potest facere per seipsum ». Reg. Iuris in VI, reg. 68. Quando ergo dimissus fuit religiosus actus iuridicus dimissionis non a Moderatore Generali, sed a Provinciali procedebat, qui tamen facultatem dimittendi non habebat.

4. Ad sustinendam validitatem dimissionis in casu, quidam canonem 209 Codicis I. C. allegare voluerunt.

Iste canon conceptus est in *favorem* eorum, qui cum magistratibus potestatem non habentibus egerunt. Sicut in cap. *Barbatius* (D. 1, 14, 3) Ulpianus ait: « quid dicemus? quae edixit, quae decrevit, nullius fore momenti? an fore *propter utilitatem* eorum, qui apud eum egerunt sive lege sive quo alio iure? et verum puto nil eorum reprobari: hoc enim *humanius* est ». Sic etiam in iure canonico suppletio iurisdictionis in casibus a canone propositis *ob utilitatem subditorum* conceditur, non ut actus invalidi Superioris sic et simpliciter validentur, sed propter bonum commune, id est propter utilitatem multorum, ut ait Innocentius IV.

Iam vero, conditio erroris communis quae a iure requiritur ut potestas suppleta habeatur, est conditio subditorum, non unius alteriusve, sed communis, sive de facto sive de iure, qui per errorem putaverunt superiorem pollere facultate ad actum iurisdictionis ponendum, quantum eis ille actus prodesse debet.

5. Sed errorem communem in casu perstringamus oportet. Obiectum erroris (siquidem error est iudicium positivum de aliqua re) est potestas quae creditur haberi, et de facto non habetur. In casu nostro erravit dimittendus putans Provincialem habere facultatem dimittendi; secus litteras dimissionis non subscripsisset. Sed hic error est singularis, ipsius nempe dimittendi. Numquid ceteri eumdem errorem commiserunt? Necesse fuisset ut negotium dimissionis publice ageretur, seu in eo quodam modo communitas participaret. P. Provincialis erravit certe putans se praeditum facultate dimittendi. Sed hic error est etiam singularis, et ipsius Superioris, non communitatis ad quam actus potestatis dirigitur. Pariter et forsitan P. Generalis erravit idem reputans: at eius error est etiam singularis et Superioris.

Ceteri autem et consodales errasse non videtur dicendum. Ii quidem *ignorabant* P. Provincialem non habere facultatem dimittendi in casu; et quamvis ignorantia causa erroris esse possit,[14] quod per *errorem* illi putaverint Superiorem facultatem habuisse dimittendi, hoc dici non posse videtur. Etenim agitur de negotio cuius notitiam alii habere solent vel de facto habent si dimittendus reapse est dimissus et postquam dimissus est. Facultas Provinciali data dimittendi religiosum neque publicata fuit, neque in notitiam venit communitatis vel quorumdam qui partem in negotio non habent. Proinde illi nequibant aestimare an

---

[14] F. C. von Savigny, *Sistema del diritto romano odierno* (trad. it. III, pp. 138, 422.

commissio extiterit vel non, an valida fuerit necne, an vitium habuerit. Id est, iudicium falsum de aliqua re (in casu nostro: de facultate dimittendi a Provinciali habita) nequit haberi, si ignoratur negotium dimissionis.

Obiectum *erroris communis,* de quo in can. 209, est ipsa potestas iurisdictionis, quae publice seu, secundum sententiam receptam apud canonistas, propter factum publicum aestimatur adesse, etsi revera non existit. In casu potestatis delegatae, etiam ad unam causam (ut est casus noster), per errorem putatur adesse commissio [15], quae de facto non existit, sive quia data non est, sive quia vitio occulto infirmatur, sive quia tempus expiravit. Unde ut aiebat D'ANNIBALE (*Summ. Th. Mor.*, I, p. 79, not. 72): « Error communis est, si eo loco ubi aliquis iurisdictionem exercet, ea praeditus esse *publice* existimetur; seu facti error versetur, seu iuris; dummodo error iuris sit probabilis ».

Iam vero illa publica manifestatio exercitae potestatis iurisdictionis in casu non habebatur; seu communitas (id est, unus aut plures *publice* seu *palam*) non novit superiorem actum iurisdictionis ponentem, non aestimavit Superiorem habere facultatem. Et ideo bene dicitur inter conditiones ad habendum errorem communem de facto considerari oportere: « que les circonstances soient telles, qu'elles soient *capables* d'induire en erreur l'ensemble de la communauté » [16].

---

15 WILCHES F. A., O. F. M., *De errore communi in iure romano et canonico,* pp. 86-102; BRIDE A., *Erreur commune et suppléance de iuridiction,* in *Revue de droit canonique,* 1954, pp. 17-20.

16 Cfr. BRIDE A., l. c., p. 11.

6. Error deinde supervenit, quando nempe actus iurisdictionis iam suum effectum (apparenter) obtinuit. Omnes, enim, postquam dimissio publica facta est, aestimaverunt, per praesumptionem potius, Superiorem debita potestate munitum. Error communis tunc determinatur seu efformatur quando actus iurisdictionis iam positus est. Hic error nullum influxum habet in actum Superioris qui iam transit. Rationes evidentes sunt: a) suppletio Ecclesiae quam canon 209 statuit ipsam potestatem iurisdictionis respicit, non effectus actus potestatis; b) error superveniens non est conditio suppletionis ab Ecclesia iurisdictionis, sed error antecedens ipsum actum potestatis iurisdictionis; c) si in canone sub verbis « errore communi » intelligi posset error communis superveniens, quaestio non esset de iurisdictione *suppleta*, sed de *sanatione* vel melius *confirmatione* actus invalidi; d) in canone 209 non agitur de sanatione actus, sed de concessione extraordinaria iurisdictionis [17].

Itaque, ad dubium: an dimissio fuerit valida in casu, respondendum censerem: *negative*.

7. Quaestio elegans addi posset: num Moderator Generalis, quando invalidam dimissionem cognovit, eam propria auctoritate sanare posset.

Per se dimissio nulla fuit, nullitate, ut aiunt, pleni iuris, seu insanabili. « Quod nullum est, nullum producit effectum », ut axioma iuridicum habet. « Actus nullus non habet iuridicam existentiam, quare nec constituere nec immutare, nec ex-

---

[17] Wernz-Vidal, *Ius canonicum*, II, n. 371.

stinguere potest relationem ullam iuridicam ... Actus nullus non eget invalidari, tandem actus nullus sanari non potest, quia non sanatur, nisi illud quod extitit; actus autem nullus nec exsistit, nec exstitit unquam ». Ita legitur in una *Albinganen. et aliarum,* S. C. Concili die 17 maii 1919 (*AAS.,* 1919, p. 383).

Scilicet, in casu nostro nullitas ex defectu substantiali procedit, seu ex defectu potestatis in dimittente. Unde Antonius dimissus non fuit, nec actus a Provinciali positus dimissio fuit, cum ille extra limites sui mandati egerit. « Quare ea, quae aliquando dicitur confirmatio actus nulli, non est vera confirmatio, sed positio novi actus validi, qui omnes habens conditiones a iure praescriptas, suos effectus *ex nunc,* idest ex tempore quo positus est, producit ». Ita in cit. *Albinganen.* Confirmatio vel ratihabitio, quae est vera *sanatio,* ea est quae habet effectum retrotractionis.

Quare confirmatio Moderatoris Generalis haberet effectum dimissionis ex *nunc,* idest ex tempore ipsius confirmationis.

Sanatio defectus quae effectus retroactivos teneret, ad solam Sedem Apostolicam pertinet.

R. Bidagor, S. I.

“ AMPLEXUS RESERVATUS ” SECUNDUM PRINCIPIA ETHICAE SEXUALIS S. THOMAE

Quaestio adhuc *discussa* de amplexu reservato, i. e. copula incepta a coniugibus cum intentione non perveniendi nec ad seminationem nec ad plenam satietatem veneream, est ea, utrum hic modus agendi sit *intrinsece* malus. Nolumus hanc quaestionem *in se* tractare; potius intendimus investigare, quid de ea *secundum principia ethicae sexualis Aquinatis* dicendum sit. Notum est, principia ethicae sexualis thomisticae maximum influxum exercuisse et exercere in doctrinam ethicam de re sexuali; unde talis investigatio non videtur sine momento esse pro theologia catholica. Et de facto, in discussionibus de moralitate amplexus reservati, auctoritatem S. Thomae iam, hoc vel illo sensu, appellaverunt [1]; quaestiones sic positas hic magis thematice evolvere cupimus.

Problema tamen difficultate non caret. Aquinas enim nihil habet explicite de hoc modo agendi coniugum. Unde maxima cautela et circumspec-

[1] Sic H. Héring O. P., et H. Lio O. F. M., — etsi sensu inter se diverso. Héring: Estne ‘ amplexus reservatus ’ intrinsice malus? *Monitor ecclesiasticus* 79 (1954) 455-478; item: De amplexu reservato. *Angelicum* 28 (1951) 313-345. Lio, *De delicto sollicitationis relate ad ‘ amplexum reservatum ’*. In: *Casus conscientiae* II (curante P. Palazzini), Romae 1956, 74-103.

tione procedendum est, si agitur de « principiis » Aquinatis applicandis; quaestio enim est in hoc, *quaenam* S. Thomae principia applicanda sint, ad mentem ipsius. Primo hoc problema eiusque difficultatem breviter exponemus; deinde successive in tria de vita sexuali principia thomistica inquiremus, utrum, eo sensu quo a sancto Doctore pronuntur, applicationem habeant circa amplexum reservatum.

I. *Expositio problematis eiusque difficultatis.*

1. Difficultas quaedam prima, breviter insinuanda, est in eo, quod terminologia Aquinatis nec est semper omnino praecisa nec omnino constans. Unde, v. g., videndum est, utrum principium aliquod a S. Thoma intelligatur revera in ea amplitudine, quae ei secundum verborum significationem convenit. Sit aliquod exemplum: « Quicumque ergo concubitu utitur propter delectationem quae in ipso est, non referendo in finem a natura intentum, contra naturam facit » [2]. Nimis celeriter quis his verbis Aquinatis concluderet: ergo amplexus reservatus est peccatum « contra naturam », sensu specifico satis noto. Nam in textu allato, illud « contra naturam » habet sensum magis amplum, et idem dicit ac « contra legem naturalem » [3]. Loquitur enim S. Thomas de moralitate concumbentis cum concubina, et quidem de moralitate *intentionis*, et non ipsius actus (ipse tamen addit,

---

2 Supplementum qu. 65 a. 3 c.

3 Ib.

modo simili esse dicendum, si actus [concubitus], in se spectatus, fini suo naturali non sit conformis); agitur ergo de re, a peccato « contra naturam », specifice dicto, omnino diversa. A fortiori quis erraret, si ex tali propositione concludere velit ad *gravitatem* amplexus reservati, quam Angelicus quidem de specifico peccato contra naturam saepe affirmat, *non* autem de omni actu qui est peccaminosus solum ratione *intentionis* [4], *neque* de *omnibus* peccatis quae ipse considerat ut peccata contra naturam, — quatenus nempe his annumerat quosdam situs in actu matrimoniali qui tamen non impediunt conceptionem [5].

Cautos etiam esse oportet in applicandis principiis quae *hodie* in usu sunt, ad praemissa desumpta ex doctrina *Aquinatis;* nam forsitan terminologia est alia, unde ea quae sequuntur minus thomistica erunt. Legitur, verbi gratia, quandoque: peccata luxuriae de se esse gravia; quod recte omnino intelligi potest, si nempe universalitas propositonis restringitur ad luxuriam *directam extramatrimonialem*. S. Thomas, peccatum « luxuriae » primario ad inordinatam concupiscentiam delectationis venereae referens, « actum luxuriae » vocat etiam actum illum matrimonialem prorsus naturalem, qui ex insufficienti motivo ponitur: et hunc *actum luxuriae* posse esse peccatum *veniale* explicite affirmat [6]. Similiter Angelicus tenet, ut

---

[4] Cfr. praesertim: *De malo* qu. 15 a. 4.

[5] Cfr. *In 4 sent.* dist. 31, Exp. Text.; II/II qu. 154 a. 11 c et a. 12 ad 4.

[6] *De malo* qu. 15 a. 2 ad 6: « ... in illo casu quando actus luxuriae est veniale peccatum ».

iam diximus, peccata situs minus naturalis non semper esse gravia; sed sunt evidenter, secundum ipsum, peccata luxuriae. Non ergo sine ulteriore inquisitione concludere licet: peccata luxuriae sunt peccata gravia; atqui amplexus reservatus est, secundum Aquinatem, peccatum luxuriae; ergo: — quae argumentatio tamen inveniri potest.

2. Quaestio principalis nunc est, secundum *quaenam principia* S. Thomae amplexus reservatus diiudicandus sit. Si interrogant, utrum hic amplexus sit actus intrinsece malus, hoc intelligunt generatim *de actu* in seipso considerato, de actu ergo externo qui ponitur: non autem de *motivo* (vel alia circumstantia) inordinato quod actum, in se non deordinatum, peccaminosum redderet: — quod forsitan quis admittit in amplexu reservato *semper* obtinere. *Utrumque,* pro S. Thoma, esset *peccatum luxuriae.* In peccato luxuriae enim Angelicus apprime distinguit, utrum sit tale propter *solam concupiscentiam deordinatam* (v. g. ob motivum insufficiens in actu matrimoniali), an *etiam ob deordinationem ipsius actus*: qui *actus* esset deordinatus, vel quia non est conformis generationi prolis, vel quia ponitur extra matrimonium [7]. Patet: si amplexus reservatus ad mentem S. Thomae esset *actus in se deordinatus,* hoc esset propter disconvenientiam ad *generationem* prolis, i. e.: amplexus reservatus esset « peccatum contra naturam ».

Quia amplexus reservatus tamen non est actus perfectus, i. e. usque ad seminationem et satie-

---

[7] Cfr. *De malo* qu. 15; II/II qu. 154, a. 1 c et ad 4.

tatem perductus, etiam videndum est, utrum forsitan applicanda sint principia S. Thomae de eis quae *ordinantur* ad actum perfectum, etsi hic et nunc non complendum, v. g. de tactibus libidinosis; quod autem problema ab ipso Doctore aliter ponitur ac a modernis.

Unde ulterius sic procedemus: suntne applicanda principia Aquinatis de peccato contra naturam? suntne applicanda principia de actibus libidinosis? suntne applicanda principia de motivo deordinato?

II. *Principia de moralitate actus.*

1. Principium fundamentale de actu generationis ut talis est: ut actus sit conveniens fini, nempe generationi (et educationi) prolis [8]. Excluditur autem solummodo impedimentum generationis *per se,* i. e. quo actus tali modo ponitur ut generatio impossibilis reddatur, non autem impedimentum *per accidens,* i. e. quo — non obstante naturali ordinatione actus in se spectati — aliunde finis impeditur, ut accidit v. g. in sterilibus [9].

Supposito hoc principio, habentur quaedam formulae de *actu deordinato,* quae amplexum reservatum facile subsumere videantur. Sic legimus: « *usus venereorum* potest esse absque peccato, si fiat debito modo et ordine, secundum quod est conveniens ad finem generationis humanae » [10].

---

8 *De malo* qu. 15 a. 1; II/II qu. 154 a. 1, 11, 12; *Contra gentes* l. 3 cap. 122.

9 Cfr. praesertim *Contra gentes,* l. c.

10 II/II qu. 153 a. 2 c; cfr. ib. a. 3 c.

Similiter: « Finis autem *usus genitalium membrorum* est generatio et educatio prolis; et ideo omnis usus praedictorum membrorum qui non est proportionatus generationi prolis et debitae eius educationi, est secundum se inordinatus »[11]. Et iterum: « in quantum impeditur generatio prolis, est vitium contra naturam; quod est *in omni actu venereo,* ex quo generatio sequi non potest »[12]. Ex quibus quis concludere forsitan velit: omnis « usus venereorum », « usus genitalium membrorum », « actus venereus », ex quo — per se, ex modo ergo quo actus ponitur — generatio sequi non potest, est peccatum; atqui in amplexu reservato, ex una parte habetur usus venereorum — usus genitalium membrorum — actus venereus, ex alia parte actus ponitur tali modo quo generatio sequi potest; ergo.

2. Dubium tamen manet, utrum amplexus reservatus sit *ille* usus venereorum, de quo S. Thomas loquitur, *et* unice dictum principium forsitan applicari velit. Revera, locis citatis agitur semper de actu venereo *perfecto,* qui ducit ad seminationem et satietatem; amplexus reservatus autem est actus imperfectus. « Usus venereorum », loco citato, explicatur ut « emissio seminis »[13]. « Usus genitalium membrorum » inordinatus, item ut « inordinatio circa emissionem seminis » declaratur[14]. « Actus venereus ex quo generatio sequi non

11 *De malo* qu. 15 a. 1 c.

12 II/II qu. 154 a. 1 c; cfr. ib. a. 11 obi. 3; similiter *De malo* qu. 15 a. 2 ad 14 et a. 3 c.

13 II/II qu. 153 a. 3 ad 1.

14 *De malo* qu. 15 a. 2 c.

potest » haberi explicite dicitur in mollitie, in bestialitate, in sodomia [15]; ergo iterum in actibus perfectis, includentibus emissionem seminis. Notum est quomodo S. Thomas, praesertim in Summa contra gentes [16], ex finalitate *seminis,* et modo emissionis seminis huic finalitati conformi, argumenta desumat. Notandum quoque est quod Angelicus, in quaestione disputata 15 de malo, *semen* humanum dicit illud bonum magnum et divinum (secundum Aristotelem) — utpote vita in potentia propinqua —, quod efficit ut malitia deordinationis in emissione (effectiva) seminis sit gravis [17]. Unde principia adducta semper supponunt actum qui effusionem seminis secumfert.

Doctor Angelicus ergo nullibi loquitur, agens de usu venereorum deordinato, de *impeditione emissionis seminis,* sed semper et solum de *impeditione generationis in emissione seminis* quae de facto obtinet. Unde non auderemus amplexum reservatum subsumere, in doctrina S. Thomae, sub actibus, qui *ex se* obsunt generationi prolis et *ideo* sunt peccaminosi. Forsitan, in tali subsumptione, principium sancti Doctoris sumeretur sensu ampliore: unde principii falsificatio sequeretur. (Et scimus multos auctores hodiernos tenere: actus imperfectos vere inservire fini generationis prolis, imperfecte utique; et ideo hos actus potius in ordine actus *naturalis* manere quam in ordine actuum contra naturam).

---

15 II/II qu. 154 a. 11 c.
16 L. 3 cap. 122.
17 Art. 2 c.

III. *Principia de actibus libidinosis.*

1. Si plures auctores hodierni iudicium de amplexu reservato ferre velint potius ex parallelismo cum aliis actibus libidinosis (imperfectis), iam inde allicimur ad conferenda principia Aquinatis de talibus actibus. Sed statim quaedam notanda veniunt:

a) Ut actus libidinosos, S. Thomas generatim enumerat tactus, amplexus, oscula[18]: actus ergo qui *ex sese,* ut ipse explicite urget, *non* sunt libidinosi; haec omnia enim, ob alium finem facta, etiam non-libidinosa esse possunt[19]. Amplexus reservatus, e contra, est actus *natura sua* sexualis. Unde praecise videndum est, quid ex doctrina Aquinatis de actibus libidinosis pro diiudicando amplexu reservato assumi possit. (Dicitur quidem in *De veritate*[21] — propter quem textum nos vocem « actus libidinosi » eligimus —: ad delectationem fovendam fieri « *turpes actus,* vel libidinosa oscula, vel aliquid huiusmodi »; putamus tamen propter perfectam identitatem quaestionis eiusque solutionis, in hac terminologia nihil aliud inveniri posse quam in textibus aliorum operum).

b) *Si* parallelismus quidam inter amplexum reservatum et illos actus libidinosos inveniri potest, habetur tamen difficultas in eo quod S. Thomas non loquitur de talibus operibus exercitis inter *coniuges*: de quibus autem praecise quaerimus[21].

---

18 II/II qu. 154 a. 4; ib. qu. 151 a. 4; ib. qu. 143 a. un.; *De malo* qu. 15 a. 2 ad 18.

19 Cfr. II/II qu. 154 a. 4; *De malo* qu. 15 a. 2 ad 18.

20 Qu. 15 a. 4 c.

21 II/II qu. 154 a. 4 c, Aquinas loquitur de operibus quae

2. Moralitas actuum libidinosorum (solutorum!) aliter ab Aquinate diiudicatur ac moralitas « actus venerei » — « usus venereorum » — « usus genitalium membrorum «. Actibus perfectis enim, si sunt deordinati, impeditur generatio (vel educatio) prolis: et ideo praecise iudicantur esse deordinati. Actus libidinosi hunc effectum habere non possunt: unde praecise quaestio oritur, qua ratione peccata esse possint [22].

Respondetur: hi actus, nisi ponuntur ad actum peccaminosum perfectum exequendum [23], fiunt ad *delectationem* (quae est in actu peccaminoso perfecto) fovendam [24]. Secundum Aquinatem, opera libidinosa sunt expressio affectus voluntarii in delectationem quae est in actu perfecto deordinato, iudicantur ergo ut « consensus delectationis sine consensu operis » (nempe perfecti) [25]. Consensus internus in delectationem veneream ducit ad hoc, ut homo ad varias deordinationes, immo usque ad actum perfectum progrediatur [26]. Alibi osten-

---

referuntur in *fornicationem,* addit tamen relationem ad *alias species luxuriae* multo magis gravitatem talium operum arguere. Cfr. *De veritate* qu. 15 a. 4 c.

22 II/II qu. 154 a. 4 obi. 2 et ad 2.

23 Cfr. *De malo* qu. 15 a. 2 ad 18.

24 Ib. ad 18 et ad 17; II/II qu. 154 a. 4; *De verit.* qu. 15 a. 4 c.

25 *De veritate* qu. 15 a. 4 ad 13.

26 *De veritate* qu. 15 a. 4 c: « ... consequitur quandoque ut ipsum actum inordinatum eligat propter hanc delectationem perfectius consequendam. Et quando ad plures inordinationes tendit, tanto magis in peccato progreditur ... » — « quidquid homo agit ex consensu talis delectationis, ut huiusmodi delectationem nutriat, vel teneat, sicut sunt turpes actus, vel libidinosa oscula, vel aliquid huiusmodi, totum est mortale peccatum ».

dimus [27] Aquinatem consensum internum delectationis de facto non ut meram complacentiam internam in opus *cogitatum* considerare, sed simul ut consensum in delectationem veneream imperfectam *praesentem*. Talis delectatio imperfecta, sive in delectatione morosa habita, sive in actibus libidinosis expressa, consideratur ut initium delectationis perfectae in actu perfecto, *ut natura sua* ad eam relata [28], ut eadem ac ea quam in actu perfecto — utique perfectius — consequuntur [29]. Actus ergo libidinosi a S. Thoma considerantur, eodem modo ac delectatio morosa, ut consensus in *delectationem* actus peccaminosi (perfecti): et ideo dicuntur peccata gravia [30].

Essetne, ad mentem Aquinatis, *amplexus reservatus*, et quidem *solutorum* (de quibus primo loquendum est), secundum idem principium diiudicandus? Aliis verbis: talis amplexus, estne peccatum utpote « *consensus in actum* » deordinatum, an ut « *consensus in delectationem actus* »? In ultimo casu talis actus diiudicaretur ut consensus in delectationem actus perfecti imperfecte experiendam; in primo casu, ulterius, haberetur pec-

27 *Die Sexualethik des heiligen Thomas von Aquin*, Köln 1949. — Ibi etiam quaestiones tum de actibus libidinosis tum de motivo sufficiente pro actu matrimoniali (cfr. infra) fuse expositae inveniuntur.

28 Cfr. commentarium Caietani in II/II qu. 154 a. 4: n. IV.

29 *De veritate* l. c.

30 Notamus Aquinatem delectationem imperfectam et perfectam non ideo eodem modo diiudicare, quia essent qualitative-psychophysice eadem delectatio, sed quia — per se et obiective — delectatio imperfecta est pars initialis delectationis actus perfecti: quare hanc eandem delectationem diversis gradibus assequi quis potest, — usque ad orgasmum.

catum propter impeditionem generationis; quod in systemate Aquinatis, ut diximus, vix asserere audemus.

Intellectio ulterior principii de actibus libidinosis, et quidem ad mentem ipsius Aquinatis, forsitan possibilis est. *Delectationi* enim, quae in « ethica formali » (de virtutibus et vitiis) constituit obiectum decisivum, ex parte « ethicae materialis » (de actuatione facultatis sexualis) correspondet quaedam *actuatio sexualis* — quae est delectans. Revera, hi actus (sicut tactus, etc.), etsi non sunt *per se* elementum aliquod constitutivum intrinsecum actuationis sexualis, tamen, *ut* libidinosi, *causant* actuationem sexualem imperfectam. Unde videtur dicendum, ad mentem S. Thomae: actuatio imperfecta *natura sua* implicat relationem et ordinationem ad actum perfectum: ideo consensus in eam, vel eius causatio voluntaria, est necessario peccatum grave. Actus ergo illi, qui sunt *ex sese indifferentes*, fiunt libidinosi-peccaminosi, si ordinantur ad actuationem sexualem, saltem imperfectam. *Actuatio imperfecta* solutorum autem, *peccatum per se* contra ordinem sexualem dicenda est: utpote « natura sua » (obiective) initium actuationis perfectae *extramatrimonialis*, quae relatio obiectiva a consentiente in talem actuationem non potest non assumi. — Nonne prorsus idem est amplexus reservatus: actuatio nempe imperfecta facultatis sexualis, initium natura sua ordinatum in actum perfectum? Hoc initium enim potest esse plus minusve propinquum ad actuationem perfectam: quae distinctio autem est tantum gradualis; et potest esse cum copula naturali (am-

plexus reservatus) et sine copula, — et aliquod intermedium esset concubitus sodomiticus: sed in hoc iterum non videtur inveniri posse distinctio essentialis, — ut Angelicus ipse, difficultati cuidem respondens, quoad actum peccaminosum perfectum affirmat [31].

3. Quia S. Thomas solummodo de actibus libidinosis *solutorum* loquitur, nos usque nunc etiam de amplexu reservato solutorum tantum agere potuimus. Quid ergo de amplexu reservato *intra matrimonium* dicendum erit? Forsitan sic argumentare licet: quia delectatio imperfecta (et actuatio imperfecta) et ideo etiam amplexus reservatus eiusque delectatio ut initium actus perfecti concipi potest; quia autem, ulterius, hic actus perfectus est ipse actus naturalis matrimonialis: ergo eius initium naturale, delectatio nempe imperfecta (et actuatio imperfecta), non minus irreprehensibilis est ac ipse actus matrimonialis perfectus, — et nihil refert utrum haec delectatio (et actuatio) progrediatur usque ad commixtionem sexuum (ut in amplexu reservato) an non. Consensus in talem delectationem (et actuationem) *per se*, nisi alius affectus intercedat, videretur arguere inclinationem in actum naturalem matrimonialem.

Difficultas tamen obiici potest: Angelicus, etsi forsitan admittit actuationem delectantem imperfectam coniugatorum ut talem non esse malam, tamen non necessario concedit ut actuatio, ad actum perfectum natura sua ordinata, ad hunc finem ex proposito non perducatur. Quod autem, ut dixi-

[31] II/II qu. 154 a. 11 ad 3.

mus, non videtur esse idem ac impeditio generationis in actu emissionis seminis. (Nec hodie quis *impeditionem generationis* in actu [effectivae] emissionis seminis — vel ipso durante vel etiam ipso iam peracto — ob rationem aliquam urgentem licitam esse dicit, sed solum permissionem talis impeditionis; dum *non-perfectionem actus* incepti, ob rationes sufficientes ex proposito causare licitum, immo obligatorium esse putant: quaestio ergo est solum utrum talem actum incipere liceat cum *intentione* eum non perficiendi). — Liceat explicite animadvertere obiectionem propositam tangere non solum amplexum reservatum, sed quamcumque actuationem sexualem coniugum imperfectam, etsi per tactus, etc., tantum procuratam. — *Si* autem talis reprehensio ex parte Aquinatis locum haberet, adhuc quaerendum esset: *a*) utrum talis reprehensio concipiatur ut de peccato gravi an levi; — sicut ab Aquinate etiam situs quidam in actu matrimoniali, certo quidem considerantur ut « contra naturam », non tamen semper ut paccata gravia; *b*) utrum haec non-perfectio, saltem si est ab initio intenta, intelligatur ob nullam rationem esse licita (ergo intrinsecus mala), an non; — sicut et illi situs, ut « contra naturam » concepti, admittuntur esse liciti ob rationem sufficientem [32].

Ut his quaestionibus responderi possit, sciendum esset, ut videtur, utrum S. Thomas concedat actus imperfectos per se *aliquid* conferre, vel conferre posse, ad finem facultatis generativae: quaes-

---

[32] *In 4 sent.* dist. 31 Exp. text.

tio hodie discussa, de qua Sanctus Doctor autem non loquitur. Attendendum tamen esse putamus ad illud factum: Angelicum, etsi de libidinosis tactibus, etc., agat, numquam in hac re ad coniugatos se referre.

IV. *Principia de motivo subiectivo.*

1. Quidquid est de moralitate amplexus reservati ratione ipsius operis in se spectati: manet adhuc quaestio de moralitate motivi subiectivi. Iam diximus Aquinatem malitiam peccati *luxuriae* — utpote partis intemperantiae — ponere in *deordinata concupiscentia circa delectationem veneream*: quae concupiscentia deordinata delectationem quaerit, *vel* in actu sexuali in seipso deordinato, *vel* etiam in actu sexuali in seipso non deordinato, — in quo casu deordinatio praesertim haberi potest ex motivo non sufficiente ad hoc ut quis delectationem, ratione actus non malam, quaerat [33]. Quaerimus utrum, ad mentem Aquinatis, in amplexu reservato semper, vel generatim, defectus motivi sufficientis ad talem actum ponendum obtineat.

2. S. Thomas ut principium fundamentale admittit *delectationem esse propter actum,* non viceversa: « delectationes quae sunt in praemissis actionibus non sunt fines actionum, sed magis e converso ... » [34]. Unde saepissime urget: quaerere delectationem veneram propter delectationem est

---

[33] Cfr. praesertim *De malo* qu. 15.
[34] *Contra gentes* l. 4 cap. 83.

peccatum. Quod ipse applicat non tantum ad copulam extramatrimonialem [35], sed etiam ad copulam matrimonialem. Immo affirmat hoc peccatum esse grave, si *sola* delectatio ad actum matrimonialem moveat, — eodem modo ac in actu cum meretrice [36]; peccatum vero esse leve, si uxor qua uxor ad actum eligatur: quia tunc non *sola* delectatio in concubitu attenditur [37].

Addendum autem est, quod, secundum Aquinatem (et traditionem plurimorum veterum theologorum), *non solum* motivum *delectationis* ab actu matrimoniali, ut hic sit perfecte ordinatus, excludendum est. Nam *solummodo* (duo) bona matrimonii possunt esse motivum actuale *sufficiens* ad actum matrimonialem plene iustificandum: « duobus solis modis coniuges absque omni peccato conveniunt: scilicet causa procreandae prolis, et debiti reddendi » [38]. *Neque ut remedium propriae concupiscentiae,* positio actus matrimonialis admittitur esse sine omni peccato; pro qua affirmatione duae adduntur rationes: primo, « sic est ibi aliqua superfluitas » [39], i. e., sine necessitate et compensatione sufficienti, ad mentem doctrinae traditionalis de bonis matrimonii, sic quis admittit actum sexualem qui tantopere impedit liberam activitatem spiri-

---

[35] V. g. Suppl. qu. 65 a. 3 c: « Quicumque ergo concubitu utitur propter delectationem quae in ipso est, non referendo in finem a natura intentum, contra naturam facit »: quod dicitur de concubitu cum concubina.

[36] V. g. Suppl. qu. 49. a. 6; *De malo* qu. 15 a. 2; et saepius.

[37] Ib.

[38] Suppl. qu. 49 a. 5.

[39] Ib. ad 2; cfr. *De malo* qu. 15 a. 2 ad 6: « qui superflue utitur sua uxore ».

tus; secundo, « nec ad hoc est matrimonium institutum, nisi secundum indulgentiam quae est de peccatis venialibus » [40], i. e. solus finis operis actus matrimonialis suppeditat motivum sufficiens, ut positio actus sit plene ordinata [41]. Cogitatio Aquinatis videtur esse haec: per se sola intentio finis (primarii) actus sexualis positionem actus iustificat, i. e. intentio prolis; redditio autem debiti (evidenter coperatio materialis cum peccato veniali coniugis, — in casu quo hic ad vitandam fornicationem petit) ut motivum sufficiens concedi videtur solummodo quia Deus hoc ita positive decrevit [42]: « Hoc enim est propter lubricum carnis *divinitus ordinatum*, ut semper petenti debitum reddatur, ne aliqua occasio (NB: gravis!) peccati detur. » [43]

Unde, propter modum valde « formalem » loquendi, semper videndum est, utrum S. Thomas de sola ordinatione (vel deordinatione) *actus* loquatur, an etiam de ordinatione (vel deordinatione) *motivi*. Si, v. g., *actus* matrimonialis sterilium, etc., omnino ordinatus esse affirmatur [44], nondum

---

40 Ib.

41 Per se, eadem regula applicatur in quaestione de gula ac in quaestione de luxuria: « si quis superflue utitur cibo suo, venialiter peccat, sicut qui superflue utitur sua uxore » (*De malo* qu. 15 a. 2 ad 6); in genere, « temperantia accipit necessitatem huius vitae sicut regulam delectabilium quibus utitur, ut scilicet tantum eis utatur, quantum necessitas huius vitae requirit » (II/II qu. 141 a. 6 c). Applicatio autem huius principii quam facit Aquinas ad luxuriam videtur esse strictior quam applicatio ad gulam (cfr. l. c. ad 2), — magis quam ipsi in « Die Sexualethik », l. c., pg. 225 s., diximus.

42 1 *Cor* 7, 3.

43 Suppl. qu. 64 a. 9 ad 1.

44 Cfr. *Contra gentes* l. 3 cap. 122; *De malo* qu. 15 a. 2 ad 14; Suppl. qu. 58 a. 1 ad 3; Suppl. qu. 64 a. 3; etc.

eo ipso ab Aquinate conceditur positionem actus esse sine omni peccato, vel veniali: nisi actus ponatur ad debitum reddendum.

3. Difficultas nunc iterum est in eo, quod S. Thomas doctrinam hanc de facto applicat solummodo ad actum perfectum. Unde iam quaeritur utrum, ad mentem Aquinatis, doctrina proposita etiam ad amplexum reservatum, utpote actum imperfectum, applicari possit. Si forsitan amplexus reservatus, *ut actus* vel etiam *ut consensus in delectationem* actus matrimonialis, non est aliquid inordinatum, problema de *motivo* sufficienti adhuc manet. Ex una parte, utique, actus imperfectus non tam vehementer « absorbet » [45] mentem hominis ac actus perfectus. Ex alia parte tamen, delectatio amplexus reservati coniugum, ut delectatio actus *matrimonialis* intelligitur (cfr. supra); motiva autem ad amplexum reservatum (et ad quoscumque actus imperfectos — ad actum perfectum non perducendos) inducentia, non sunt generatim ea quae a sancto Doctore pro actu matrimoniali iustificando requiruntur; et, ulterius, obtinet illa « superfluitas » iam allegata. Inclinamur ad admittendum, ex tota tendentia S. Thomae, principia de motivo subiectivo, secundum ipsum, ad amplexum reservatum applicanda esse.

Scimus tamen haec principia *hodie* ab auctoribus generatim non simpliciter admitti. Immo, in ipsa encyclica Casti connubii [46] alia motiva, ab Aquinate exclusa, ut prorsus sufficientia agnoscun-

---

[45] II/II qu. 55 a. 8 ad 1; et alibi.
[46] *AAS* XXII (1930) 561.

tur. De qua autem quaestione hodierna hic ulterius non est agendum.

Conclusio.

In ethica sexuali Aquinatis, moralitas amplexus reservati ergo aestimanda venit, secundum quod hic amplexus consideratur *vel* in seipso, sive ut « usus venereorum », fini facultatis sexualis conformis vel non, sive ut actus exprimens consensum in delectationem usus venereorum quae etiam in actibus imperfectis habetur, *vel* relate ad circumstantias, quarum unam tantum, maximi tamen momenti, motivum nempe subiectivum, tractavimus (de periculo, v. g., nihil speciale ex doctrina S. Thomae resumendum est).

Si quaestio de moralitate amplexus reservati, ad mentem Aquinatis, plene et evidenter solvi non potuit, hoc mirum non est, quia ipse sanctus Doctor de actibus imperfectis coniugum non agit; nec oblivioni detur quod multi auctores hodierni, qui principia fundamentalia Aquinatis supponere intendunt, circa actus imperfectos coniugum tamen non modo prorsus unanimi iudicant.

Unde etiam patet quid sit respondendum si quis putaverit nos in subsumendo amplexu reservato sub doctrina Aquinatis, vim principiorum maxime generalium et fundamentalium non satis attendisse: quae tamen permittant iudicium vere thomisticum de amplexu reservato deducere. Opinamur enim haec principia apud ipsum sanctum Doctorem non esse tam determinata, ut, sine periculo falsificationis, vera deductio thomistica possibilis sit.

Discussio instituta autem forsitan quaedam affert ad melius intelligenda principia Aquinatis, et simul eorum principiorum quae in discussionibus hodiernis usu veniunt.

Iosephus Fuchs, S. I.

SACRA ROMANA ROTA

Coram R. P. D. Dino Staffa, Ponente

Brixien. seu Mediolanen.

NULLITAS MATRIMONII

Sententia diei 20 aprilis a. 1956

DE METU

In iure. — Tum in Ecclesia Latina, (can. 1087 C. I. C.) cum in Ecclesia Orientali saltem post Motum Proprium *Crebrae Allatae* diei 22 februarii a. 1949 (*A. A. S.*, vol. XLI, p. 106, can. 78), certum est metum gravem, extrinsecum et iniuste incussum, matrimonium irritare. Postquam tamen in citato Motu Proprio pro Ecclesia Orientali decretum est metum non dirimere vinculum nisi illatus sit ad extorquendum consensum, frequentius disputari iterum coepit utrum et in Ecclesia Latina eadem norma vigeret.

Per plura saecula, ut ex historia constat (cfr. M. Wyszynski, *Utrum metus indirecte incussus dirimere possit matrimonium, in Ius Pontificium,* a. 1930, pp. 193-200; a. 1931, pp. 42-51; a. 1932, pp. 43-52; a. 1933, pp. 52-63; G. Dossetti, *La violenza nel matrimonio in d. c.,* Milano, 1942, pp. 170 ss.), unanimiter Canonistae docuerunt metu vinculum non invalidari, nisi incussus fuisset ad extorquendum consensum. Sufficiat pro omnibus referre verba Th. Sanchez: « Hac ergo in re est con-

clusio certissima apud omnes, nempe, quoties metus non est incussus ad extorquendum matrimonium, sive proveniat a causa naturali, sive libera, quantumvis gravissimus sit, non reddit irritum matrimonium ... quia tunc non impellitur homo ab alio ad matrimonium, sed a se ipso: cum nullus tunc exigat matrimonium, sed voluntarie id contrahens eligit, tamquam medium ad evadendum periculum animae vel corporis ... Quia involuntarium quod in eo matrimonio invenitur, non est intentum ab incutiente metum, sed tantum habet occasionem ex ipsius nequitia » (*De S. Matrimonii Sacramento,* L. IV, disp. 12, n. 3).

Primus qui ex professo contrariam sententiam proposuit fuit J. B. De Lugo: « Ratio autem — ait ipse — a priori est, quia etiam in hoc casu homo consentit vere et simpliciter metu iniusto coactus: ad hoc enim, ut aliquis dicatur proprie ex metu aliquid facere, non requiritur quod metus hac intentione inferatur, ut constat in eo, qui metu naufragii proicit merces in mare, qui propriissime dicitur operari ex metu ... Arguit (Sanchez) ... quia tunc non impellitur homo ab alio ad matrimonium ... sed contrahens id voluntarie eligit, ut medium ad evadendum periculum. Respondetur tamen ex dictis, non impelli quidem immediate, sed mediate ad matrimonium ab inferente metum, sicut qui proicit merces in mare, impellitur immediate a metu mortis, et mediate a tempestate, quae illum metum intulit ... licet (metus) ab initio non fuerit incussus ad contractum; postea vero quando iam ad eam conventionem venitur, iam iniustus oppressor minatur mortem, si non contra-

hat. Ergo perinde se habet, ac si ab initio minatus eam fuisset, si non consentiret » (*De iustitia et iure*, disp. XXII, sect. VII, nn. 177-180).

Non obstante hac contraria sententia J. B. De Lugo, praevalens doctrina (cfr. Auctores cit. a M. WYSZYNSKI, *art. cit.* a 1932, p. 122 ss.; G. DOSSETTI, *o. c.*, p. 188, nota 1) et iurisprudentia sive Veteris Rotae (cfr. e. gr. *S. Rotae Romanae, Decisiones Recentiores*, Pars XVIII, t. II, dec. DXIV, *Taurinen.*, d. 10 maii a. 1675, nn. 15-16), sive S. C. Concilii (cfr. e. gr. *Thesaurus resolutionum S. C. Concilii* tom. III, pp. 67 et 164, *Mutinen.* dec. d. 19 augusti a. 1724 et d. 9 iunii a. 1725; tom. CXLIX, p. 388 ss. *Bononien.*, dec. d. 10 maii a. 1890, et *A.S.S.* XXIII, p. 140 ss. Quoad causam *Vigilien.*, diei 23 iunii et diei 13 iulii a. 1725, de qua in *Thesaurus* cit. tom. III, pp. 176, 188, 208, 221 et apud *Fontes C. J. C.* vol. V, n. 3300, pp. 744-746, cfr. M. WYSZYNSKI, *art. cit.* in *Ius Pontificium* a. 1933, pp. 57-58 et G. DOSSETTI, *o. c.*, pp. 188-189, nota 1), sive Novae Rotae ante Codicem J. C. (cfr. e. gr. *Decisiones S. R. Rotae*, vol. II, p. 69, n. 2, dec. d. 26 februarii a. 1910 *coram Many;* ibid. p. 289, n. 2, dec. d. 21 iulii a. 1910 *coram Sebastianelli;* vol. III, p. 115, n. 2, dec. d. 13 martii a. 1911 *coram Tany;* ibid. p. 123, n. 2, dec. d. 20 martii a. 1911 *coram Many;* ibid. p. 229, n. 6, dec. d. 2 iunii a. 1911 *Videntibus Omnibus;* ibid. p. 238, n. 2, dec. d. 9 iulii a. 1911 *coram Prior;* vol. IV, p. 22, n. 4, dec. d. 11 ianuarii a. 1912 *coram Heiner;* ibid. p. 441, n. 5, dec. d. 27 augusti a. 1912 *coram Lega;* vol. V, p. 463, n. 2, dec. d. 14 iulii a. 1913 *coram Sincero;* ibid. p. 613, n. 4, dec. d. 29 nov. a. 1913

coram Prior; vol. IX, p. 10, n. 7, dec. d. 3 ianuarii a 1917 *coram Cattani-Amadori;* etc.) tali constantia tenuerunt matrimonium non irritari metu qui non fuisset incussus ad extorquendum consensum, ut F. X. Wernz a. 1912 scribere potuerit: « sententia Lugonis nostra aetate non amplius videtur solide probabilis. Nam iuris textus, v. gr. capita X De Spons. IV, I, 15, 28, non excepto cap. 14, constanter referuntur ad coactionem in ordine ad matrimonium, neque adversarii ullam possunt allegare causam, in qua SS. CC. ipsorum sententiam adoptarint » (*Ius Decretalium,* tom. IV, n. 265, nota 25).

Quidam tamen Auctores, etiam probati (cfr. F. Schmalzgrueber, *Ius ecclesiasticum,* L. IV, tit. I, nn. 391, 398 ss. et alii quos citat M. Wyszynski, *art. cit.* a. 1932, p. 123 ss.) opinionem J. B. De Lugo secuti sunt.

Nunc vero investigandum est utrum prior an altera sententia in Codice sancita sit.

Dum in can. 103 *metus* contraponitur *vi,* in can. 1087, § 1 vis et metus coniunctim sumuntur, locutione quae tum in iure romano (Cod. 2, 19), cum in iure canonico (L. I, tit. 40 Decretalium), constanter significavit vim quae per metum operatur, seu metum qui procedit a vi. Ratio distinctionis in hoc est quod, dum in can. 103, § 1 agitur de violentia absoluta quae non afficit nisi actum externum corporalem, in can. 1087, § 1 agitur de vi quam Canonistae vocaverunt conditionalem (cfr. e. gr. Iohannes Andreae, *Novella Commentaria,* L. I, tit 40 *De his quae vi,* c. 15 *Sacris;* Th. Sanchez, *o. c.* L. IV, disp. I, n. 1 ss.; A. Ballerini-D.

PALMIERI, *De Matrimonio,* ed. a. 1894, n. 1114; H. NOLDIN-A. SCHMITT, *De Sacramentis,* ed a. 1945, n. 633; F. X. WERNZ-P. VIDAL-PH. AGUIRRE, *Ius matrimoniale,* ed. a. 1946, n. 496) quaeque afficit actum internum elicitum a voluntate.

Sive vis absoluta sive vis conditionalis ab extrinseco procedit, id est ex actu voluntatis alienae, liberae et humanae, quae violentia physica in primo casu, violentia morali in altero, determinatum persequitur finem, qui proinde antea a vim inferente cognosci debet. Violentiae autem obiectum est actus alterius hominis, quem vim inferens extorquere intendit, actus nempe corporis seu imperatus si inferatur vis absoluta, actus elicitus a voluntate si agatur de vi conditionali: in utroque casu obiectum vis illatae, id est actus violentiam patientis, est conforme ad volutatem subiecti inferentis vim.

In can. 1087, § 1, ut animadvertimus, agitur de violentia conditionali seu morali, quia vis absoluta seu physica, quae totalem defectum voluntatis seu consensus praesupponit, rectius dicitur can. 1086, § 2 comprehendi. Postquam mentio facta est vis vel metus, in can. 1087, § 1 edicitur metu certis qualitatibus induto matrimonium irritari. Quia vero haec requisita, vel iuxta gramaticam, directe referuntur ad metum, non ad vim, inquirendum est quid secumferat, notione sua, metus et quidem metus ab extrinseco incussus.

Metus, natura sua (cfr. *D. IV,* 2, 1; S. THOMAS, *Summa theologica,* I, II, q. 42-43), ne concipitur quidem sine malo: est enim instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio. Blanditiae,

preces, invitationes, hortationes, consilia, per se nullum malum comminantur, ideoque nec metum incutiunt, sed alium ad agendum ex persuasione vel benignitate, ideoque plena libertate, excitare intendunt. Malum proinde et metus quae cum iisdem forte connectuntur, utpote circumstantiis accidentalibus tribuenda, non praesumuntur, sed probanda sunt (cfr. e. gr. *Decisiones S. R. Rotae*, vol. XXIII, pp. 113-114, nn. 5 et 7, decisio d. 31 martii a. 1931 *coram Wynen*).

Metus ab extrinseco est formula a Canonistis inventa, quorum primus videtur D. Soto (*De iustitia et iure*, L. VII, q. II, art. 1; cfr. G. Dossetti, *o. c.* p. 128), dum in iure romano memoratur *metus illatus* (D. IV, 2, 9). Sive tamen *metus illatus* romanorum, sive *metus ab extrinseco* Canonistarum, idem significarunt, id est metum incussum ab homine mediantibus minis (cfr. e. gr. Hostiensis, *Summa*, L. III, tit. 31 *De Regularibus*, c. 17 *Sicut nobis;* Iohannes Andreae, *o. c.* L. III, tit. 31 *De Regularibus*, c. 17 *Sicut nobis;* et alii ad idem c. 17, X, III, 31, D. Soto, *l. c.* Inter recentiores cfr. e. gr. I. De Lugo, *o. c.* disp. XXII, sect. VII, nn. 112-113; F. Schmalzgrueber, *o. c.* L. I, tit. I, n. 389; A. Ballerini-D. Palmieri, *o. c.* n. 1114; P. Gasparri, *o. c.*, ed a. 1932, n. 852; F. M. Cappello, *o. c.*, ed. a. 1947, n. 607; *Decisiones S. R. Rotae*, vol. XVII, p. 240, n. 2, decisio d. 15 iunii a. 1925 *coram Iullien;* vol. XXII, p. 613, n. 2, dec. d. 24 nov. a. 1930 *coram Mannucci;* vol. XXIII, p. 489, n. 2, dec. d. 14 dec. a. 1931 *coram Mannucci;* vol. XXIV, p. 403, n. 3, dec. d. 4 augusti a. 1932 *coram Wynen*).

Matrimonium non irritat metus nisi sit ab extrinseco *incussus* « id est non tantum ex parte metuentis passus, sed vere et positive ab alio illatus » (G. Michiels, *Principia generalia de personis,* p. 515). *Incussus* proinde esse non potest nisi metus ab homine illatus, imo, iuxta constantem doctrinam et iurisprudentiam, *ex voluntate* procedens minitantis (cfr. e. gr. Sylvester De Prierio, *Summa,* v. Votum, n. 12; A. Blat, *Commentarium Codicis Iuris Canonici,* L. III, pars I, n. 486; B. Ojetti, *Commentarium,* t. II, p. 148; *Decisiones S. R. Rotae,* vol. XX, p. 310, n. 7, decisio d. 25 iulii a. 1928 *coram Grazioli;* vol. XXIII, p. 103, n. 5, decisio d. 27 martii a. 1931 *coram Grazioli;* ibid., p. 489, n. 2, decisio d. 14 decembris a. 1931 *coram Mannucci;* vol. XXIV, p. 403, n. 3, decisio d. 4 augusti a. 1932 *coram Wynen;* vol. XXVII, p. 648, n. 2, decisio d. 10 decembris a. 1935 *coram Morano*): secus enim metus neque iniustus erit; haec insuper voluntas inferentis metum debet esse aliquo modo manifestata seu expressa (cfr. e. gr. *Decisiones S. R. Rotae,* vol. XVIII, p. 117, n. 2, decisio d. 9 aprilis a. 1926 *coram Parrillo;* vol. XXII, p. 613, n. 3, decisio d. 24 novembris a. 1930 *coram Mannucci;* vol. XXIII, p. 415, n. 4, decisio d. 11 augusti a. 1931 *coram Wynen*): nam quod nullimode manifestatur momentum habere nequit in iure, neque ab extrinseco superare contrarietatem ac minuere libertatem.

Praeterea matrimonium metu non invalidatur, nisi metus incussus ab extrinseco sit causa contractus (cfr. e. gr. *Decisiones S. R. Rotae,* vol. XV, p. 40, n. 3, decisio d. 5 martii a. 1923 *coram Iullien;*

vol. XVIII, p. 175, nn. 2-3, decisio d. 11 maii a. 1926 *coram Mannucci;* vol. XIX, p. 446, n. 2, decisio d. 10 novembris a. 1927 *coram Grazioli;* vol. XXII, p. 204, n. 5, decisio d. 4 aprilis a. 1930 *coram Grazioli;* vol. XXIII, p. 182, n. 5, decisio d. 11 maii a. 1931 *coram Grazioli;* ibid. p. 388, n. 2, decisio d. 10 augusti a. 1931 *coram Parrillo*): nisi enim relatio causalitatis intercedat inter metum et matrimonium, contractus non initur *ob* metum prout can. 1087, §1 requirit (cfr. etiam can. 103, § 2). Iamvero « *causa* alicuius actus vel effectus is dicitur ad quem actus vel effectus ipse refertur tamquam ad suum auctorem; causa *directa* alicuius actus vel effectus is dicitur qui actum ipsum vel effectum in se et immediate intendit; *indirecta* vero qui non intendit actum vel effectum in seipso et immediate » (D. Staffa, in *Apollinaris,* vol. XVI, p. 56), sed alium actum vel effectum coniunctum cum illo qui de facto producitur. Cum de lege stricte interpretanda agatur (can. 11 et 1014), causa sensu proprio et stricto sumenda est, ideoque concludendum videretur metum non irritare matrimonium, nisi ipsius sit causa directa. Docuit F. Suarez: « quando metus directe incutitur ad extorquendum consensum, esse specialiorem quandam diminutionem libertatis, quae non est in quocumque alio metu ex numeratis; nam in aliis non determinatur voluntas ex vi metus ad eligendam professionem, tanquam medium necessarium ad vitandum malum quod timetur; sed cum malum alioquin immineat, voluntas ipsa ex sua libertate se determinat ad eligendum hoc medium ... At vero quando metus directe incutitur ad extorquendum

consensum, voluntas ex vi illius quodammodo determinatur ad eligendam professionem tanquam medium necessarium ad vitandum malum illud, quae determinatio longe maior est, magisque contraria libertati; nam, supposita intentione vitandi illud malum, est quaedam necessitas simpliciter » (*De Religione*, Lib. VI, cap. IV, n. 7).

Revera si metus non ad matrimonium sed ad alium finem incussus fuit, deest relatio causalitatis immediatae et necessariae inter metum et matrimonium; matrimonium autem non est effectus necessarius metus ab extrinseco, sed electionis metuentis qui ab initio voluntate sua in matrimonium dirigitur. In hunc actum electionis nulla vis ab alio homine infertur, quia matrimonium non intenditur a metum incutiente, ita ut matrimonium omnino improprie diceretur initum *ob* vim vel metum ab extrinseco incussum. Si metus e contra directe incutiatur ad extorquendum consensum, electio matrimonii non contrahenti sed metum inferenti tamquam propriae causae seu auctori est adscribenda, dum metum patiens voluntate sua non utitur nisi ad se subiiciendum voluntati alienae eamque exsequendam: « Formale discrimen in metu tunc solummodo habetur, quando causa libera humana intervenit: tunc agens ex metu sub dependentia ponitur innaturali et saepe illegitima alterius personae. Heac dependentia seu subordinatio ratio est cur lex divina vel humana actus quosdam ex metu factos ratos habere nolit » (A. Vermeersch, *Theologia Moralis*, Brugis, 1926, I, n. 79): tunc revera, imo tunc tantum, in consensu praestando nupturiens sentit se non determinatio-

ne suae voluntatis matrimonium inire, sed potius aliena (cfr. G. Dossetti, *o. c.* pp. 547-548; O. Giacchi, *Il consenso nel matrimonio canonico,* Milano, 1950, p. 103 ss.).

Concludendum ergo videretur vim conditionalem quae, natura sua, ut initio vidimus, tamquam obiectum habet conformitatem voluntatis metum patientis ad voluntatem metum incutientis, iuxta can. 1087, § 1 effectum irritandi matrimonium non habere nisi matrimonium ipsum sit obiectum seu finis propter quod infertur: secus enim matrimonium neque voluntatem movet metum inferentis, neque metus incussionem determinat, neque ut medium imponitur ad vitandum malum comminatum, ita ut electio matrimonii ex voluntate procedat metuentis.

Conclusio confirmari videretur sive locis Codicis parallelis, sive Iurisprudentia N. S. T. textu et contextu Codicis innixa. Etenim in can. 169, § 1, n. 1, decernitur: « invalidum est suffragium, si elector metu gravi ... directe vel indirecte, adactus fuerit »: quia pro metu incusso ad extorquendum suffragium eadem aderat controversia ac pro metu illato ad extorquendum consensum matrimonialem, si Codex sancire voluisset pro irritatione matrimonii sufficientiam metus indirecti, hoc expresse edixisset in can. 1087, § 1, sicut in can. 169, § 1, n. 1 G. Dossetti, *o. c.,* pp. 209-210).

Iurisprudentia autem N. S. T. usque ad annum 1933 unanimis fuit in exigendo metu directo (cfr. e. gr. *Decisiones S. R. Rota,e* vol. X, p. 15, n. 6, dec. d. 28 ianuarii a. 1918 *coram Sebastianelli;* ibid. p. 28, n. 2, dec. dec. d. 18 februarii a.

1918 *coram Many;* ibid. p. 37, n. 2, dec. d. 10 maii a. 1918 *coram Sebastianelli;* ibid. p. 43, n. 3, dec. d. 6 iunii a. 1918 *coram Rossetti;* ibid. p. 52, n. 2, dec. d. 11 iunii a. 1918 *coram Sincero;* vol. XI, p. 73, n. 2, dec. d. 4 aprilis a. 1919 *coram Sincero;* ibid. p. 121, n. 4, dec. d. 8 iulii a. 1919 *coram Prior;* vol. XII, p. 43, n. 2, dec. d. 27 februarii a. 1920 *coram Sincero;* vol. XIII, p. 183, n. 2, dec. d. 2 augusti a. 1921 *coram Massimi;* vol. XIV, pag. 230, n. 2, dec. d. 12 iulii a. 1922, *coram Prior;* vol. XV, pag. 150, n. 2, dec. d. 10 iulii a. 1923 *coram Grazioli;* ibid. pag. 204, n. 2, dec. d. 2 augusti a. 1923 *coram Solieri;* ibid. pag. 213, n. 2, dec. d. 4 augusti a. 1923 *coram Massimi;* ibid. pag. 238, n. 2, dec. d. 10 augusti a. 1923 *coram Jullien;* vol. XX, pag. 273, n. 2, dec. d. 30 iunii a. 1928 *coram Massimi;* vol. XXI, pag. 161, n. 3, dec. d. 18 martii a. 1929 *coram Grazioli;* vol. XXII, pag. 442, n. 2, dec. d. 24 iulii a. 1930 *coram Mannucci;* vol. XXIII, pag. 103, n. 5, dec. d. 27 martii a. 1931 *coram Grazioli;* etc.). Unica exceptio constituitur sententia diei 9 ianuarii a. 1922 *coram Florczak* — vol. XIV, p. 3, n. 3 —, qui tamen postea contrarium sententiam est amplexatus — cfr. vol. XVIII, p. 63, n. 2, dec. d. 6 martii a. 1926; ibid. p. 307, n. 2, dec. d. 5 augusti a. 1926 —. Immo, etiam post a 1933 nonnumquam N. S. T. metum directum requisivit (cfr. *Decisiones S. R. Rotae,* vol. XXVII, p. 623, n. 5, decisio d. 2 decembris a. 1935 *coram Grazioli;* vol. XXVIII, p. 705, n. 6, decisio d. 6 novembris a. 1936 *coram Grazioli;* vol. XXX, p. 534, n. 2, decisio d. 8 augusti a. 1938 *coram Grazioli;* vol. XXXIII, p. 10, n. 2, decisio d. 17 ianuarii a. 1941 *coram Gra-*

zioli; ibid. p. 346, n. 2, decisio d. 2 martii a. 1941 *coram Teodori.* Cfr. etiam vol. XXXI, n. 522, n. 2, decisio d. 16 octobris a. 1939 *coram Jullien;* vol. XXXII, p. 135, n. 3, decisio d. 16 februarii a. 1940 *coram Teodori*). Quibus probatur neque auctoritate P. Gasparri, iuxta infra dicenda, omnia dubia fuisse dissipata (cfr. etiam F. X. Wernz - P. Vidal - Ph. Aguirre, *Ius matrimoniale,* ed. a. 1946, n. 501; H. Noldin - A. Schmitt, *De Sacramentis,* ed. a. 1945, n. 634, 3°; Th. M. Vlaming - L. Bender, *Praelectiones Iuris Matrimonialis,* ed. a. 1950, p. 404; G. Dossetti, *ll. cc.;* O. Giacchi, *l. c.*).

Nec nisi ob argumenta desumpta ex hac vis condionalis natura, formula can. 1087, § 1 C. J. C. reformata fuit pro Ecclesia Orientali Motu Proprio *Crebrae Allatae*: haec enim mutatio explicari non potest mera ratione historica (cfr. A. Coussa, *De Matrimonio,* n. 150), quae potissime valere debuisset pro C. J. C.: dubium sane non est novam formulam a Canonistis et Iurisprudentia Ecclesiae Latinae fuisse excogitatam, et ab iisdem in Orientales Synodos transiisse.

Contra necessitatem metus directi ad extorquendum consensum, obiicitur: sive directe sive indirecte incutiatur, ex metu oriri potest in subiecto patiente illa animi trepidatio, ob quam matrimonium ineatur, quod non iniretur nisi malum immineret; quia in utroque casu eadem habetur animi trepidatio, idem debet esse consectarium, id est matrimonii nullitas. Respondetur probatum non esse quod ex eadem animi trepidatione haberi debeat idem consectarium id est matrimonii irritatio, nam etiam ex metu ab intrinseco talis cau-

sari potest animi trepidatio, quin matrimonii nullitas consequatur. Tandem non absque ratione § 2 can. 1087 decernit: « Nullus alius metus, etiamsi det causam contractui, matrimonii nullitatem secumfert ».

Quamvis sententia quae necessitatem propugnat metus directi ad extorquendum consensum, perfecte logica et irrefutabilis appareat, constat eamdem a C. J. C. fuisse exclusam. Refert P. Gasparri in novissima editione sui operis: « Ut legitur in actis praeparatoriis ad Codicem, examini Consultorum propositus fuerat canon primae sententiae favens: § 1. *Nullum quoque est matrimonium initum ob metum gravem ab extrinseco et iniuste incussum in ordine ad extorquendum consensum matrimonialem.* Praeses Commissionis recoluit gravem, quae in subiecta materia aderat, controversiam inter canonistas; et. P. Palmieri proposuit ut formula, quae in suo voto erat quaeque utramque sententiam comprehendit, acceptaretur: *Metus debet esse ab extrinseco, iniuste incussus, a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium,* quae reipsa acceptata fuit. Hinc iure Codicis nullum est matrimonium tum si metus gravis sit directe incussus ad extorquendum consensum matrimonialem, tum si ad hoc non sit directe incussus, sed pars persuasum habeat se ab eo liberare non posse, nisi matrimonium contrahat » (*De Matrimonio,* n. 856).

Quoad hunc textum animadverti potest argumentum desumptum e studiis praeviis legibus, caute accipiendum esse, praesertim in iure canonico: « Sane, qui munus accipiunt a Sancta Sede

legem praeparandi, nullo modo participant potestati legislativae, secus ac fit in comitiis Civitatum, et eorum doctrina et opinio est opinio viri privati » (A. VAN HOVE, *De Legibus ecclesiasticis,* a. 1930, p. 273, n. 265). Neque opinio relata P. Gasparri aestimanda est ut interpretatio authentica, at, quamvis ipse munere Praesidis Commissionis pro Codice redigendo iam functus esset, quae ipse enarrat fidem plenam faciunt discussionis habitae de hac quaestione et mentis illorum qui Codicem pararunt. Iamvero praesumendum est « nisi contrarium constet, legislatorem verbis tribuisse sensum quem ipsis tribuerunt viri qui legem paraverunt » (H. I. CICOGNANI - D. STAFFA, *Commentarium ad primum librum C. J. C.,* a. 1939, Vol. I, p. 296); quoties « legislator in lege sua fecit verba ab illis viris doctis proposita » (G. MICHIELS, *Normae Generales,* ed. 1949, Vol. I, p. 533).

Tali sedulitate in Codice parando quaestio nostra discussa fuit, ut nullum dubium supersit de voluntate tribuendi, saltem iure positivo, metui indirecto vim irritantem nuptias.

Relatam formulam D. Palmieri proposuerat in suo schemate a. 1905, eamque commendabat prout sequitur: « dummodo metus gravis causa sit ut quis invitus contractum ineat, contractus erit rescindibilis, seu inferens metum tenetur resarcire laeso omnia damna ideoque et rescindere contractum, quod in matrimonio fieri nequit nisi ab initio dirimatur. Sane c. 14 *De Spons.* omnis metus gravis excluditur ».

In sessione Consultorum d. ianuarii a. 1906 textus propositus erat iste: « Nullum quoque est

matrimonium initum ob metum gravem, naturalem, ab extrinseco, iniuste et directe incussum ad extorquendum consensum ». G. Sebastianelli proposuit suppressionem adiectivi « *naturalem* » utpote inutilis, et verbi « *directe* » P. Bastien concinit cum Sebastianelli. B. Pompili approbavit suppressionem adiectivi « naturalem ». D. Palmieri refutavit opinionem Th. Sanchez et propugnavit sententiam J. B. De Lugo. P. Gasparri accessit ad votum D. Palmieri « riconoscendo in entrambi i casi: del metus *directe* vel *indirecte* incussus uguale diminuzione di volontà ». F. X. Wernz e contra hanc mutationem in formula proposuit: « ... iniuste et in ordine ad extorquendum consensum matrimonialem incussum ».

In sessione Consultorum diei 11 ianuarii a. 1906, textus propositus erat: « Nullum quoque est matrimonium initum ob metum gravem, ab extrinseco et iniuste incussum in ordine ad extorquendum consensum ». G. Sebastianelli et B. Pompili faverunt suppressioni verborum « ad extorquendum consensum »; P. Gasparri recoluit gravem in hac re controversiam in doctrina; D. Palmieri institit pro formula quam prius exhibuerat; G. De Lai textum omnino novum praesentavit, qui tamen reiectus fuit; F. X. Wernz defendit schema propositum, animadvertens iurisprudentiam S. C. Concilii metum semper requirere incussum in ordine ad extorquendum consensum.

Sessioni Consultorum diei 25 ianuarii a. 1906 fere idem schema subiectum fuit ac praecedenti sessioni, id est: « Invalidum quoque est matrimonium ob metum gravem, ab extrinseco et iniuste

incussum in ordine ad extorquendum consensum coniugalem ». G. Sebastianelli iterum favit suppressioni locutionis « in ordine ad extorquendum consensum », ne controversia definiretur; P. Bastien e contra approbavit schema uti iacebat; item G. Van Rossum et F. X. Wernz; dum D. Palmieri sententiam suam retinuit.

Congregationi Particulari EE. PP. Cardinalium diei 21 maii a. 1906 idem textus propositus fuit ac in praecedenti sessione Consultorum, addita in nota sententia D. Palmieri pro metu indirecto, quam Cardinales Ferrata, Gennari, Vives approbarunt. Inde omissa fuit clausula « in ordine ad extorquendum consensum ».

Haec decisio confirmata fuit ab EE. PP. in subsequenti Congregatione Particulari diei 16 iulii a. 1906, cui textus oblatus fuerat immutatus, id est cum clausola omittenda. Interim tamen, id est inter diem 21 maii et diem 16 iulii a. 1906, aliud verbum irrepserat: dum antea nulla mentio erat de vi, novum schema edicebat matrimonium invalidari *ob vim* vel metum. Quia ex actis eruitur cuinam additio adscribenda sit, haec tribui nequit nisi P. Gasparri. Demum in schemate a. 1906 textus prostat prout postea sancitus fuit.

Concludendum est ergo iuxta Codicem metum quoque indirectum irritare matrimonium, id est etiam si non inferatur ad extorquendum consensum, sed alia de causa, e. gr. propter odium, vindictam, rapinam, etc., dummodo a causa extrinseca, libera et humana procedat, gravis sit et ad iniustum finem incutiatur, etiamsi a matrimonio diversum; quapropter applicanda sunt ea omnia

Il faut ne premier lieu dénoncer un jugement moralement erroné, qui se forme dans l'esprit de l'homme, mais influence d'habitude son comportement externe et consiste à mettre le cadavre humain sur le même plan que celui de l'animal ou qu'une simple « chose ». Le cadavre animal est utilisable presque dans toutes ses parties; on peut en dire autant du cadavre humain considéré de façon purement matérielle, c'est-à-dire dans les éléments dont il se compose. Pour certains, cette manière de voir constitue le critère dernier de la pensée et le principe dernier de l'action. Une telle attitude comporte une erreur de jugement et une méconnaissance de la psychologie et du sens religieux et moral. Car le cadavre humain mérite qu'on le regarde tout autrement. Le corps était la demeure d'une âme spirituelle et immortelle, partie constitutive essentielle d'une personne humaine dont il partageait la dignité; quelque chose de cette dignité s'attache encore à lui. On peut

dire aussi, puisqu'il est une composante de l'homme, qu'il a été formé « à l'image et à la ressemblance » de Dieu, laquelle va bien au delà des traces génériques de la ressemblance divine, qu'on retrouve également chez les animaux privés d'intelligence et jusque dans les créatures inanimées purement matérielles. Même au cadavre s'applique d'une certaine manière le mot de l'Apôtre: « Ne savez-vous pas que vos membres sont le temple du St-Esprit, qui habite en vous? »[3]. Enfin le corps mort est destiné à la résurrection et à la vie éternelle. Tout cela ne vaut pas du corps animal et prouve qu'il ne suffit pas d'envisager des « fins thérapeutiques » pour juger et traiter convenablement le cadavre humain. D'autre part, il est vrai également que la science médicale et la formation des futurs médecins exigent une connaissance détaillée du corps humain et qu'on a besoin du cadavre comme objet d'étude. Les réflexions émises ci-dessus ne s'y opposent pas. On peut poursuivre cette fin légitime en acceptant pleinement ce que Nous venons de dire. De là vient aussi qu'un individu veuille disposer de son cadavre et le destiner à des fins utiles, moralement irréprochables et même élevées (entre autres pour secourir des hommes malades et souffrants). On pout prendre une telle décision au sujet de son propre corps avec la pleine conscience du respect qui lui revient, et en tenant compte des paroles que l'Apôtre adressait aux Corinthiens. Cette décision il ne faut pas la condamner, mais la justi-

---

[3] 1 *Cor.* 6, 19.

fier positivement. Pensez par exemple au geste de Don Carlo Gnocchi. A moins que les circonstances n'imposent une obligation, il faut respecter la liberté et la spontanéité des intéressés; d'habitude on ne présentera pas la chose comme un *devoir* ou un acte de charité obligatoire. Dans la propagande, il faut certainement observer une réserve intelligente pour éviter de sérieux conflits extérieurs et intérieurs. Faut-il en outre, comme il arrive souvent, refuser en principe tout dédommagement? La question reste posée. Il est hors de doute que de graves abus peuvent s'introduire, si l'on exige une rétribution; mais ce serait aller trop loin que de juger immorale toute acceptation ou toute exigence d'un dédommagement. Le cas est analogue à celui de la transfusion sanguine: c'est un mérite pour le donneur de refuser un dédommagement; ce n'est pas nécessairement un défaut de l'accepter.

L'enlèvement de la cornée, même parfaitement licite en soi, peut aussi devenir illicite, s'il viole les droits et les sentiments des tiers à qui incombe le soin du cadavre, les proches parents d'abord; mais ce pourraient être d'autres personnes en vertu de droits publics ou privés. Il ne serait pas humain, pour servir les intérêts de la médecine ou des « buts thérapeuthiques », d'ignorer des sentiments si profonds. En général, il ne devrait pas être permis aux médecins d'entreprendre des extirpations ou d'autres interventions sur un cadavre sans l'accord de ceux qui en sont chargés, et peut-être même en dépit des objections formulées antérieurement par l'intéressé. Il ne se-

rait pas non plus équitable que les corps des patients pauvres dans les cliniques publiques et les hôpitaux soient destinés d'office aux services de médecine et de chirurgie, tandis que ceux des patients plus fortunés ne le seraient pas. L'argent et la situation sociale ne devraient pas intervenir, quand il s'agit de ménager des sentiments humains aussi délicats. D'autre part, il faut éduquer le public et lui expliquer avec intelligence et respect que consentir expressément ou tacitement à des atteints sérieuses à l'intégrité du cadavre dans l'intérêt de ceux qui souffrent, n'offense pas la piété due au défunt, lorsqu'on a pour cela des raisons valables. Ce consentement peut malgré tout comporter pour les proches parents une souffrance et un sacrifice, mais ce sacrifice s'auréole de charité miséricordieuse envers des frères souffrants.

Les *pouvoirs publics* et les lois qui concernent les interventions sur les cadavres doivent en général respecter les mêmes considérations morales et humaines, puisqu'elles s'appuient sur la nature humaine elle-même, laquelle précède la société dans l'ordre de la causalité et de la dignité. En particulier les pouvoirs publics ont le devoir de veiller à leur mise en pratique, et d'abord de prendre des mesures pour qu'un « cadavre » ne soit pas considéré et traité comme tel avant que la mort n'ait été dûment constatée. Par contre les pouvoirs publics sont compétents pour veiller aux intérêts légitimes de la médecine et de la formation médicale; si l'on soupçonne que la mort est due à une cause criminelle, ou s'il y a danger pour la santé

publique, il faut que le corps soit livré aux autorités. Tout cela peut et doit se faire, sans manquer au respect dû au cadavre humain et aux droits des proches parents. Les pouvoirs publics peuvent enfin contribuer efficacement à faire entrer dans l'opinion la conviction de la nécessité et de la licéité morale de certaines dispositions au sujet des cadavres, et ainsi prévenir ou écarter l'occasion de conflts intérieurs et extérieurs dans l'individu, la famille et la société.

Il a presque deux ans, le 30 septembre 1954, Nous avons déjà exprimé les mêmes idées dans une allocution au 8e Congrès de l'Association Médicale Internationale, et Nous voudrions maintenant répéter et confirmer ce que Nous disions alors dans un bref paragraphe: « En ce qui concerne l'enlèvement des parties du corps d'un defunt à des fins thérapeutiques, on ne peut pas permettre au médecin de traiter le cadavre comme il le veut. Il revient à l'autorité publique d'établir des règles convenables. Mais elle non plus ne peut procéder arbitrairement. Il y a des textes de loi, contre lesquels on peut élever de sérieuses objections. Une norme, comme celle qui permet au médecin, dans un sanatorium, de prélever des parties du corps à des fins thérapeutiques, tout esprit de lucre étant exclu, n'est pas admissible déjà en raison de la possibilité de l'interpréter trop librement. Il faut aussi prendre en considération les droits et les devoirs de ceux à qui incombe la charge du corps du défunt. Finalement, il faut respecter les exigences de la morale naturalle, qui défend de considérer et de traiter le cadavre de l'homme sim-

plement comme une chose ou comme celui d'un animal »[4].

Avec l'espoir de vous avoir ainsi donné une orientation plus précise et facilité une compréhension plus profonde des aspects religieux et moraux de ce sujet, Nous vous accordons de tout cœur Notre Bénédiction Apostolique.

III

(*AAS.* XXXXVIII [10-16 iun. 1956] p. 459)

Iis qui interfuerunt Conventui universali de fecunditate et sterilitate humana, Neapoli indicto *.

Vous Nous avez exprimé, Messieurs, le désir de venir Nous présenter vos hommages à l'occasion du deuxième Congrès Mondial de la Fertilité et de la Sterilité, que vous tenez maintenant à Naples. Nous répondons avec empressement à votre souhait et vous disons le plaisir tout particulier, que Nous éprouvons à recevoir un groupe imposant de savants et de praticiens de tant de pays divers. Vous vous apprêtez à étudier un sujet difficile et délicat, parce qu'il concerne l'une des fonctions principales du corps humain et parce que les résultats de vos travaux peuvent entraîner des conséquences lourdes de signification pour la vie de beaucoup d'hommes et l'évolution des sociétés.

---

[4] *Acta Apost. Sedis,* vol. XXXXVI a. 1954, pag. 595.

* Habita die 19 Maii mensis a. 1956.

La stérilité conjugale involontaire, à laquelle vous vous proposez de porter remède, fait obstacle à l'obtention de la fin principale du mariage et provoque chez le couple un malaise profond, voilé souvent par une pudeur instinctive, mais dangereux pour la stabilité du mariage lui-même. C'est pourquoi, en face de l'impuissance de la médecine moderne à traiter avec succès bien des cas de ce genre, vous avez formé en 1951 cette « Association internationale de la Fertilité », dont le premier Congrès, tenu à New York en 1953, proposait dans son ordre du jour trois résolutions principales : aider par tous les moyens possibles l'étude et la recherche concernant la fertilité; promouvoir et répandre cette spécialité chez les médecins, afin qu'un nombre sufficant d'entre eux puisse aider efficacement les couples stériles; insister pour qu'on crée des cliniques, des services et des centres de fertilité dans les hôpitaux, sous la direction d'un personnel compétent. La présent Congrès répond, comme le précédent, à la volonté de développer au maximum les connaissances que l'on possède, de les répandre parmi les médecins de toutes les parties du monde, de déterminer aussi une coordination des travaux sur certains points, où la convergence des efforts permettra d'obtenir des résultats plus significatifs. Vous entendrez un nombre remarquable de rapports et de communications, qui examinent les facteurs endocriniens et métaboliques de la fertilité et de la stérilité, leurs facteurs professionnels et toxiques, les méthodes nouvelles de diagnostic et de traitement de la stérilité masculine et féminine, le diagnostic de

l'ovulation et de la spermatogénèse et le traitement de leurs désordres, la chirurgie de la stérilité. Une série de mémoires considérera aussi les recherches expérimentales menées en cette matière et les problèmes relatifs à l'une des principales fonctions de l'homme. Cet ensemble d'études illustre brillamment l'intérêt, que ce Congrès suscite, et la façon dont, de toutes parts, des spécialistes éminents ont voulu apporter leur contribution à l'effort commun.

Il ne Nous appartient pas de porter un jugement sur les aspects proprement techniques de vos travaux; Nous voudrions par contre envisager brièvement certaines implications morales des questions, que vous abordez du point de vue scientifique.

Votre Congrès précédent signalait dans sa motion finale que la stérilité conjugale involontaire soulève un problème économique et social de grande importance, qu'elle contribue à l'abaissement de l'indice de fertilité des populations et peut influencer par là la vie et la destinée des peuples. Il arrive parfois que l'on s'attarde à ce point de vue, plus apparent, plus facilement contrôlable. On dira alors qu'il faut promouvoir la natalité pour assurer la vitalité d'une nation, et son expansion dans tous les domaines. Il est vrai qu'une natalité élevée manifeste les énergies créatrices d'un peuple ou d'une famille; elle illustre le courage des hommes devant la vie, ses risques, ses difficultés; elle souligne leur volonté de construire et de progresser. On a raison de relever que l'impossibilité physique d'exercer la paternité et la

maternité devient aisément un motif de découragement, de repliement sur soi. La vie, qui souhaitait ardemment se prolonger, se dépasser, retombe, pour ainsi dire, sud elle-même et bien des foyers, hélas, succombent à cette épreuve.

C'est avec plaisir que Nous voudrions mentionner ici une considération, que vous avez vous-mêmes mise en relief. Il est pleinement vrai que votre zèle à poursuivre des recherches sur la stérilité matrimoniale et les moyens de la vaincre, s'il présente un aspect scientifique digne d'attention, engage aussi de hautes valeurs spirituelles et éthiques, dont on devrait tenir compte. Nous les avons indiquées ci-dessus. Il est profondément humain que les époux voient et trouvent dans leur enfant l'expression véritable et plénière de leur amour réciproque et de leur don mutuel. Il n'est pas difficile de comprendre pourquoi le désir insatisfait de la paternité ou de la maternité est ressenti comme un sacrifice pénible et douloureux par les parents, qu'animent des sentiments nobles et sains. Bien plus, la stérilité involontaire du mariage peut devenir un danger sérieux pour l'union et la stabilité même de la famille.

Mais cet aspect social ne fait en réalité que recouvrir une réalité plus intime et plus grave. Le mariage en effet unit deux personnes dans une communauté de destin, dans leur marche vers la réalisation d'un idéal qui implique, non la plénitude d'un bonheur terrestre, mais la conquête de valeurs spirituelles d'un ordre transcendant, que la Révélation chrétienne en particulier propose dans toute leur grandeur. Cet idéal, les époux le

poursuivent ensemble, en se consacrant à l'obtention de la fin première du mariage, la génération et l'éducation des enfants.

Plusieurs fois déjà Nous avons cru nécessaire de rappeler comment les intentions particulières des conjoints, leur vie commune, leur perfectionnement personnel, ne pouvaient se concevoir que subordonnés au but qui les dépasse, la paternité et la maternité. « Non seulement l'œuvre commune de la vie extérieure, disions-Nous dans une allocution adressée aux sages-femmes le 29 octobre 1951, mais encore tout l'enrichissement personnel, même l'enrichissement intellectuel et spirituel, jusqu'à ce qu'il y a de plus spirituel et profond dans l'amour conjugal comme tel, a été mis par la volonté de la nature et du Créateur au service de la descendance »[1]. Tel est l'enseignement constant de l'Eglise; elle a rejeté toute conception du mariage qui menacerait de le replier sur lui-même, d'en faire une recherche égoïste de satisfactions affectives et physiques dans l'intérêt des seuls epoux.

Mais l'Eglise a écarté aussi l'attitude opposée qui prétendrait séparer, dans la génération, l'activité biologique de la relation personnelle des conjoints. L'enfant est le fruit de l'union conjugale, lorsqu'elle s'exprime en plénitude, par la mise en œuvre des fonctions organiques, des émotions sensibles qui y sont liées, de l'amour spirituel et désintéressé qui l'anime; c'est dans l'unité de cet acte humain que doivent être posées les

---

[1] *Acta Apost. Sedis,* vol. XLIII (1951) pag. 849-850.

conditionis biologiques de la génération. Jamais il n'est permis de séparer ces divers aspects au point d'exclure positivement soit l'intention procréatrice, soit le rapport conjugal. La relation, qui unit le père et la mère à leur enfant, prend racine dans le fait organique et plus encore dans la démarche délibérée des époux, qui se livrent l'un à l'autre et dont la volonté de se donner s'épanouit et trouve son aboutissement véritable dans l'être qu'ils mettent au monde. Seule d'ailleurs cette consécration de soi, généreuse dans son principe et ardue dans sa réalisation, par l'acceptation consciente des responsabilités qu'elle comporte, peut garantir que l'œuvre d'éducation des enfants sera poursuivie avec tout le soin, le courage et la patience qu'elle exige. On peut donc affirmer que la fécondité humaine, au delà du plan physique, revêt des aspects moraux essentiels, qu'il faut nécessairement considérer, même lorsqu'on traite le sujet du point de vue médical.

Il est bien évident que le savant et le médecin, lorqu'ils abordent un problème de leur spécialité, ont le droit de concentrer leur attention sur ses éléments proprement scientifiques et de le résoudre en fonction de ces seules données. Mais lorsqu'on entre dans la voie des applications pratiques à l'homme, il est impossible de ne pas tenir compte des répercussions que les méthodes proposées auront sur la personne et son destin. La grandeur de l'acte humain consiste précisément à dépasser le moment même où il se pose pour engager toute l'orientation d'une vie, pour l'amener à prendre position vis-à-vis de l'absolu. C'est vrai

déjà de l'activité quotidienne : à combien plus forte raison d'un acte qui engage, avec l'amour réciproque des époux, leur avenir et celui de leur descendance.

Aussi croyon-Nous qu'il est capital pour vous, Messieurs, de ne pas négliger cette perspective, quand vous considérez les méthodes de fécondation artificielle. Le moyen, par lequel on tend à la production d'une nouvelle vie, prend une signification humaine essentielle, inséparable de la fin que l'on poursuit et susceptible, s'il n'est pas conforme à la réalité des choses et aux lois inscrites dans la nature des êtres, de causer un dommage grave à cette fin même.

Sur ce point également, on Nous a demandé de donner quelques directives. Au sujet des tentatives de fécondation artificielle humaine « in vitro », qu'il Nous suffise d'observer qu'il faut les rejeter comme immorales et absolument illicites. Sur les diverses questions de morale qui se posent à propos de la fécondation artificielle, au sens ordinaire du mot, ou « insémination artificielle », Nous avons déjà exprimé Notre pensée dans un discours adressé aux médecins le 29 septembre 1949 [2]; aussi Nous renvoyons pour le détail à ce que Nous disions alors et Nous Nous limitons ici a répéter le jugement donné pour conclure : « En ce qui touche la fécondation artificielle, non seulement il y a lieu d'être extrêmement réservé, mais il faut absolument l'écarter. En parlant ainsi, on ne proscrit pas nécessairement l'emploi de cer-

---

[2] *Acta Apost. Sedis*, vol. XXXXI (1949) pag. 557 ss.

tains moyens artificiels destinés uniquement soit à faciliter l'acte naturel, soit à faire atteindre sa fin à l'acte naturel normalement accompli ». Mais étant donné que l'usage de la fécondation artificielle s'étend de plus en plus, et afin de corriger quelques opinions erronées qui se répandent au sujet de ce que Nous avons enseigné, Nous y ajoutons ce qui suit :

La fécondation artificielle dépasse les limites du droit que les époux ont acquis par le contrat matrimonial, à savoir, celui d'exercer pleinement leur capacité sexuelle naturelle dans l'accomplissement naturel de l'acte matrimonial. Le contrat en question ne leur confère pas de droit à la fecondation artificielle, car un tel droit n'est d'aucune façon exprimé dans le droit à l'acte conjugal naturel et ne saurait en être déduit. Encore moins peut-on le faire dériver du droit à l'« enfant » « fin » première du mariage. Le contrat matrimonial ne donne pas ce droit, parce qu'il a pour objet non pas l'« enfant », mais les « actes naturels » qui sont capables d'engendrer une nouvelle vie et destinés à cela. Aussi doit-on dire de la fécondation artificielle qu'elle viole la loi naturelle et qu'elle est contraire au droit et à la morale.

Alia nunc occurrit quaestio, ad quam pertractandam magis addecet latinam linguam adhibere.

Quemadmodum rationalis animus noster artificiali inseminationi adversatur, ita eadem ethica ratio, a qua agendi norma sumenda est, pariter vetat, quominus humanum semen, peritorum examini subiciendum, masturbationis ope procuretur.

Hanc agendi rationem attigimus Nostra quo-

que allocutione coram Urologiae doctoribus cœtum participantibus, die VIII mensis Octobris anno MDCCCCLIII prolata, in qua haec habuimus verba: « Du reste, le St-Office a décidé déjà le 2 août 1929 [3] qu'une " masturbatio directe procurata ut obtineatur sperma " n'est pas licite, ceci quel que soit le but de l'examen » [4]. Cum vero Nobis allatum sit, pravam huiusmodi consuetudinem pluribus in locis invalescere, opportunum ducimus nunc etiam, quae tunc monuimus, commemorare atque iterum inculcare.

Si actus huiusmodi ad explendam libidinem ponantur, eos vel ipse naturalis hominis sensus sua sponte respuit, ac multo magis mentis iudicium, quotiescumque rem mature recteque considerat. Iidem actus tamen tunc quoque respuendi sunt, cum graves rationes eos a culpa eximere videntur, uti sunt: remedia iis praestanda qui nimia nervorum intentione vel abnormibus animi spasmis laborant; medicis peragenda, ope microscopii, spermatis inspectio, quod venerei vel alius generis morbi bacteriis infectum sit; diversarum partium examen, ex quibus semen ordinarie constat, ut vitalium spermatis elementorum praesentia, numerus, quantitas, forma, vis, habitus aliaque id genus dignoscantur.

Eiusmodi procuratio humani seminis, per masturbationem effecta, ad nihil aliud directe spectat, nisi ad naturalem in homine generandi facultatem plene exercendam; quod quidem plenum exer-

---

[3] *Acta Apost. Sedis,* vol. XXI, a. 1929, p. 490, II.

[4] *Acta Apost. Sedis,* vol. XLV, (1953) pag. 678.

citium, extra coniugalem copulam peractum, secum fert directum et indebite usurpatum eiusdem facultatis usum. In hoc eiusmodi indebito facultatis usu proprie sita est intrinseca regulae morum violatio. Haudquaquam enim homo ius ullum exercendi facultatem sexualem iam inde habet, quod facultatem eandem a natura recepit. Homini nempe (secus ac in ceteris animantibus rationis expertibus contingit) ius et potestas utendi atque exercendi eandem facultatem tantummodo in nuptiis valide initis tribuitur, atque in iure matrimoniali continetur, quod ipsis nuptiis traditur et acceptatur. Inde elucet hominem, ob solam hanc causam quod facultatem sexualem a natura recepit, non habere nisi potentiam et ius ad matrimonium ineundum. Hoc ius tamen, ad obiectum et ambitum quod attinet, naturae lege, non hominum voluntate describitur; vi huius legis naturae, homini non competit ius et potestas ad plenum facultatis sexualis exercitium, directe intentum, nisi cum coniugalem copulam exercet ad normam a natura ipsa imperatam atque definitam. Extra hunc naturalem actum, ne in ipso quidem matrimonio ius datur ad sexuali hac facultate plene fruendum. Hi sunt limites, quibus ius, de quo diximus, eiusque exercitium a natura circumscribuntur. Ex eo quod plenum sexualis facultatis exercitium hoc absoluto copulae coniugalis limite circumscribitur, eadem facultas intrinsece apta efficitur ad plenum matrimonii naturalem finem assequendum (qui non modo est generatio, sed etiam prolis educatio), atque eius exercitium cum dicto fine colligatur. Quae cum ita sint, masturbatio omnino est extra me-

moratam pleni facultatis sexualis exercitii naturalem habilitatem, ideoque etiam extra eius colligationem cum fine a natura ordinato; quamobrem eadem omni iuris titulo caret atque naturae et ethices legibus contraria est, etiamsi inservire intendat utilitati per se iustae nec improbandae.

Quae hactenus dicta sunt de intrinseca malitia cuiuslibet pleni usus potentiae generandi extra naturalem coniugalem copulam, valent eodem modo cum agitur de matrimonio iunctis vel de matrimonio solutis, sive plenum exercitium apparatus genitalis fit a viro sive a muliere, sive ab utraque parte simul agente; sive fit tactibus manualibus sive coniugalis copulae interruptione; haec enim semper est actus naturae contrarius atque intrinsece malus.

Si la fécondité répond à certaines exigences de l'organisme et satisfait des instincts puissants, elle engage tout de suite, comme Nous l'avons dit, le plan psychologique et moral. L'œuvre de l'éducation dépasse encore par sa portée et ses conséquences celle de la génération. Les échanges d'âme à âme, qui s'opèrent entre les parents et les enfants, avec tout le sérieux, la délicatesse, l'oubli de soi qu'ils requièrent, contraignent bien vite les parents à dépaisser le stade de la possession effective pour songer à la destinée personnelle de ceux qui leur sont confiés. Le plus souvent, quand ils atteignent l'âge adulte, les enfants quittent leur famille, s'en vont au loin pour répondre aux nécessités de la vie ou aux appels d'une vocation plus haute. La pensée de ce détachement normal, si coûteux soit-il pour eux, doit aider les parents

à s'élever vers une conception plus noble de leur mission, vers une vision plus pure de la signification de leurs efforts. Sous peine d'échec au moins partiel, la famille est appelée à s'intégrer dans la société, à élargir le cercle des affections et des intérêts, à orienter ses membres vers des horizons plus larges, pour songer non seulement à eux-mêmes, mais aux tâches de service social.

L'Eglise catholique enfin, dépositaire des intentions divines, enseigne la fécondité supérieure des vies entièrement consacrées à Dieu et au prochain. Ici le renoncement entier à la famille doit permettre l'action spirituelle toute désintéressée et procédant non d'une peur quelconque de la vie et de ses engagements, mais de la perception des véritables destinées de l'homme, créé à l'image de Dieu et en quête d'un amour universel, qu'aucun attachement charnel ne vienne limiter. Telle est la plus sublime et la plus enviable fécondité, que l'homme puisse souhaiter, celle qui transcende le plan biologique pour entrer le plain-pied dans celui de l'esprit.

Nous ne voulions pas, Messieurs, conclure cette allocution sans ouvrir ces perspectives. A d'aucuns, elles peuvent paraître assez éloignées des objets, qui vous occupent maintenant. Il n'en est rien cependant. Elles seules en effet permettent de situer vos travaux, à la place qui leur revient et d'en apercevoir la valeur. Ce que vous souhaitez, ce n'est pas seulement d'augmenter le nombre des hommes, mais d'élever le niveau moral de l'humanité, ses forces bienfaisantes, sa volonté de croître physiquement et spirituellement.

Vous voulez rendre une nouvelle ferveur à l'affection de tant d'époux qu'attriste un foyer désert; loin d'entraver leur épanouissement plénier, vous ambitionnez de mettre à leur service tout votre savoir pour que se réveillent en eux ces ressources admirables, que Dieu a cachées au cœur des pères et des mères pour les aider à monter vers Lui, eux-mêmes et toute leur famille.

Pénétrés d'une telle responsabilité, vous poursuivrez avec une ardeur croissante, Nous osons l'espérer, votre labeur scientifique et les réalisations pratiques, que vous vous proposez. En invoquant sur vous-mêmes, sur vos familles et tous ceux qui vous sont chers, les plus abondantes faveurs divines. Nous vous accordons de tout cœur Notre Bénédiction Apostolique.

6 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii

(*AAS.* XXXXVIII [23 iul. 1956] p. 508)

DECRETUM

PROSCRIPTIO LIBRORUM

Feria IV, die 27 Iunii 1956

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, E.mi ac Rev.mi Domini Cardinales, rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendos mandarunt libros a Simone de Beauvoir conscriptos:

1. *Le deuxième sexe,* 2 voll., Gallimard, Paris, 1949;

2. *Les mandarins,* Gallimard, Paris, 1954.

In Audientia autem diei 30 eiusdem mensis et anni, SS.mus D. N. D. Pius, Divina Prov. Pp. XII, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 12 Iulii 1956.

ARCTURUS DE JORIO, *Notarius*

7 - Sacra Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus

(*AAS.* XXXXVIII [28 aug. 1956] p. 589)

DECRETUM

INSTITUTUM SOCIALIUM SCIENTIARUM IN PHILOSOPHICA FACULTATE PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE IN URBE IN PERPETUUM ERIGITUR ET GRADUS ACADEMICOS CONFERENDI IURE AUGETUR.

Sacra Congregatio de Seminariis et studiorum Universitatibus, attentis supplicibus litteris Praepositi Generalis Societatis Iesu, Vice-Magni Cancellarii, cum compererit Institutum Socialium Scientiarum quod a. D. MCMLI in Philosophica Facultate Pontificiae Universitatis Gregorianae conditum est humanae societati in Catholicae Ecclesiae fide moribusque provehendis multum contu-

lisse, laudatum Institutum Socialium Scientiarum in perpetuum erigit erectumque declarat, atque pro munere statuit ius in posterum laudato Instituto esse academicos Socialium Scientiarum gradus conferendi iis alumnis qui trienne studiorum curriculum rite compleverint, dummodo antea philosophico-theologica studia perfecerint quae can. C. I. C. 1365 praescribuntur, vel per unum saltem annum in philosophica Facultate eas disciplinas didicerint atque superatis examinibus absolverint quae tum socialium doctrinarum natura tum peculiaribus Statutis exiguntur; ceteris servatis quae et Apostolica Constitutione « Deus scientiarum Dominus » adnexisque « Ordinationibus » et eiusdem Instituti approbatis Statutis praecipiuntur; contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Romae, ex Aedibus Sancti Callisti, die XXIX m. Iunii, in Festo SS. App. Petri et Pauli, a. D. MCMLV.

✠ I. Card. PIZZARDO, Ep. Albanen., *Praefectus*

L. ✠ S.

† C. Confalonieri, Archiep. Nicopolitan., *a Secr.*

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

NOTAE QUAEDAM AD PRIVILEGIUM PETRINUM
(*continuatur*)

1. Privilegium Petrinum, consideratum secundum functionem exclusive eius propriam, significat Summi Pontificis potestatem solvendi vinculum matrimonii, etiam consummati, ab initio initi inter unam partem baptizatam et alteram partem non-baptizatam.

2. De *facto*, Romano Pontifici competere hanc facultatem, hodie dubium iam non potest moveri, quidquid est de dubiis tempore praeterito pluries et a pluribus motis. Ex pluribus saltem decenniis Summus Pontifex iterum iterumque, (etsi relative raro), hac potestate utitur. Admitti autem non potest: Pontifices in hac materia, (quae est sensu technico « iuris divini », in qua igitur Pontifices utuntur « potestate ministeriali », presse intellecta), *errare*, sibi vindicando et arrogando potestatem, quam Christus Ecclesiae non dedit. Talis error et usus denotaret: gravem perturbationem ordinis recti, gravem laesionem iuris divini, gravem deceptionem fidelium cum gravi animarum damno, inde persaepe resultante.

3. Ad hoc argumentum magis indirectum, accedit argumentum, petitum quasi ex natura rei, quod dici etiam potest « argumentum a pari » cum Privilegio Paulino. Ex traditionali enim doctrina et ex saeculari Ecclesiae praxi constat: Privilegium Paulinum sua solvendi vinculum matrimonii vi non privari eo, quod pars, ad fidem conversa et baptizata, post baptismum susceptum continuat cum parte, quae in infidelitate permansit, cohabitare et cum ea iuribus matrimonialibus uti. Inde deducunt: matrimonium, inter unam partem baptizatam et alteram partem non-baptizatam, etsi consummatum, ex iure divino in praesenti oeconomia salutis per consummationem non evadere absolute indissolubile, (ad instar matrimonii rati et ut rati consummati). Secus a pari idem dici deberet de casu ipsius Privilegii Paulini, matrimonio post baptismum unius partis denuo consummato. Sed hoc « argumento a pari » non probatur: matrimonium, ab initio initum inter partem baptizatam solvi posse per positivum *actum Summi Pontificis*; nam huiusmodi actus Pontificius in Privilegio Paulino non intervenit; solutio in casu Privilegii Paulini fit per novum Matrimonium, a parte baptizata (suppositis supponendis) initum. Multo minus hoc « argumento a pari » probari potest: dictum matrimonium, initio initum inter partem baptizatam et partem non baptizatam, solvi posse per novum partis baptizatae matrimonium cum parte quadam catholica.

Nihilominus *ex praxi Ecclesiae* constat: ipsum quoque usum Privilegii Paulini non esse subtractum potestati Pontificiae. Sic ex una parte Eccle-

sia restrinxit usum huius Privilegii, exigendo ad valorem interpellationes; ex altera parte solutionem vinculi in infidelitate contracti multum extendit, ultra condicionem ab Apostolo assignatam. Sufficit attente legere Constitutionem Gregorii XIII « Populis » d. d. 25 Januarii 1585, ex qua talis extensio evidenter apparet.

4. Ex sola tamen analogia Privilegii Petrini cum Privilegio Paulino potestas Ecclesiae quoad Privilegium Petrinum non videtur extra omne dubium poni. Ut hic finis obtineatur, magis generalis consideratio instituenda videtur de potestate, qua Christus suam Ecclesiam quod vinculi matrimonialis solutionem ornavit. Pius XII in Allocutione ad S. R. Rotam d. d. 3 Octobris 1941 enuntiavit: notum esse, matrimonium ratum et consummatum iure divino ita esse indissolubile, ut nulla humana potestate solvi possit (can. 1118); omnia alia autem matrimonia, etsi sint intrinsecus indissolubilia (idest indissolubilia per privatam partium voluntatem), tamen non habere indissolubilitatem extrinsecam absolutam, sed, adimpletis certis praerequisitis, solvi posse, ultra per vim Privilegii Paulini, per Romanum Pontificem in virtute suae potestatis ministerialis, (cf. A.A.S. 33 (1941) p. 424/425). Iure quaeritur: unde *talis et tanta solvendi potestas* cum certitudine erui queat; numquid ex ipsius Christi verbis, et in genere ex sola S. Scriptura. Ex notis S. Scripturae textibus (Mt. XIX, 3-12; Lc. XVI, 18; 1. Cor. VII, 39, 10-11, 15) potius rationes in contrarium peti possunt.

Quaedam animadversio hic videtur interponenda. Si discussio instituitur de matrimoniorum solubilitate et de Ecclesiae solvendi potestate, cavendum est, ne falsa idea et suspicio oriatur: Ecclesiam favere matrimoniorum solutioni. Prae oculis habeatur: 1) licet numerus matrimoniorum, quae ex iure divino « solubilia » sunt, sit magnus, « solubilitatem » matrimoniorum non esse idem atque eorum « solvenditatem », neque hanc per illam ullo modo insinuari; 2) aliud esse amplissimam solvendi *potestatem*, et aliud huius potestatis amplissimum *usum*. Pius XII in allegata Allocutione l. c. monet explicite: Ecclesiam amplissima sua sibi a Christo data solvendi potestate non uti nisi relative raro. Ecclesiae praevalens omnino norma est: non-solvere quod Deus coniunxit, sed illud conservare et confirmare, ideoque, pro posse, reconciliare coniuges, inter quos accidit separatio. Solummodo, si causae pergraves habentur et reconciliatio obtineri nequit (immo forte dissuaderi debet), Ecclesia procedit ad utendam suam solvendi vinculum potestatem.

Ad eam autem in tota sua amplitudine ex S. Scriptura probandam, neque sufficit classicus textus promissionis Primatus Petri: « *quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis* » (Mt. XVI, 19). Textus nullum quidem limitem potestatis effert; ergo per se intellegi potest et debet de omni in praesenti oeconomia salutis « *solubili* »; sed quid in hac oeconomia sit « solubile », ex solo hoc textu disci nequit. Insuper, si textus nimium premeretur, efficeretur: etiam ratum et consummatum matrimonium a Romano Pontifice posse solvi.

5. Sed, etsi fortasse amplitudo et extensio potestatis solvendi (contenta in ea potestate Privilegii Petrini) ex sola Scriptura non potest ostendi, nihilominus in Scriptura, et quidem in textu 1. Cor. VII, 12-15, habetur ini-

tium et ansa suspicandi: grandem in Ecclesia esse circa solvendum vinculum potestatem. Memorata firma lege Christi de matrimonii indissolubilitate — (« *iis, qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus* ... 1. Cor. VII, 10-11; iterum 39) — Apostolus pergit dicendo: « λέγω ἐγώ, οὐχ ὁ κύριος », et ordinat, ne in matrimonio pars fidelis, si habet conpartem infidelem, ab infideli discedat. « Si autem pars infidelis discedit, discedat »; et sequitur promulgatio Privilegii Paulini: « non servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi: in pace autem vocavit nos Deus ». Ex contextu apparet, hunc casum non subesse praecepto Domini de indissolubilitate, immediate antecedenti: (« παραγγέλλω οὐκ ἐγὼ ἀλλὰ ὁ κύριος... μὴ χωρισθῆναι... μὴ ἀφιέναι ») sed huic textui quodammodo opponi; (dicitur enim ex una parte: « dicit Dominus, non ego », ex altera parte « dico ego, et non Dominus »; uterque autem textus est de discessu unius coniugis ab altero coniuge). Habet ergo ipse Apostolus a Domino aliquam potestatem circa Domini legem indissolubilitatis; dicit enim explicite « dico ego, non Dominus » (et in fine urget « in omnibus Ecclesiis (ita) doceo » (VII, 17)). *Id quod* autem, quod Apostolus hoc loco, statuit, est aliquid « in iure divino »; nam vinculum matrimoniale est « ius divinum », in quo Ecclesia non pollet nisi potestate *ministeriali*, (idest potestate exercenda non nomine suo et in re sua, sed nomine Domini et in re Domini). Privilegium Paulinum exhibet ergo normam, stabilitam ab Apostolo vi potestatis a Domino acceptae. *Promulgatio* autem huius normae facta est ex mandato et sub influxu Spiritus Sancti, in textu inspirato; est infallibilis veritatis et certitudinis. Haec consideratio et interpretatio textus Apostoli ansam et initium alicuius argumenti ex *Scriptura* suppeditare potest huius tenoris: in Apostolis Ecclesiam aliquam, et forte amplam et amplissimam a Christo accepisse solvendi vinculum potestatem (incluso Privilegio Petrino), quae potestas duobus textibus, tamquam terminis extremis, circumscribitur, quorum uterque apud Apostolum l. c. sufficienter indicatur (et qui in allegata Allocutione

Pii XII tamquam termini extremi explicite designantur) scl. alter: « *quod Deus coniunxit, homo non separet* », alter: *non servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi; in pace vocavit nos Deus* ». Non arbitrarium esse videtur censere et iudicare: casum Privilegii Paulini fuisse tantummodo unum, sed non unicum, casum in quo Apostolus pollebat potestate solvendi vinculum, et enuntiavit se ea uti. In toto enim capite VII Apostolus respondet ad *varios casus* (tum status matrimonialis tum status solutorum), ei propositos; mirum non est eum in allegato capite non omnia memorare quae personalem eius necnon Ecclesiae circa vinculum, solvendum potestatem spectant; sed plura eum silere ob hanc quoque rationem, quod ad hoc ei non fuit datum mandatum et impulsus Spiritus Sancti inspirantis.

6. At quidquid est de hoc hic posito tentamine argumenti scripturistici, Ecclesia ex pluribus decenniis utitur Privilegio Petrino, et quidem non semel tantum, sed repetitis semper vicibus. Insuper de usu huius privilegii ad Ordinarios dedit in documento officiali « NORMAS », in quibus Ordinarii edocentur, quomodo praevium processum informatorium peragant, et ad quae peculiari modo debeant attendere. At — (ut supra iam monitum est) — admitti non potest: Ecclesiam, in theoria et praxi (continuo et constanter applicata) *errare*. Censenda est ergo haec *potestas* Pontificis contenta et recondita in deposito fidei; (secus Ecclesia tali modo ea uti non posset). Insuper etiam huius potestatis *scientia et conscientia*, saltem clara et directa, in Ecclesiae mente et professione habetur, (secus Ecclesia temerarie et illicite ageret). Reflexa autem et distincta rationum probantium notitia earumque cum fontibus revelationis

connexio ulteriore et profundiore studio adhuc augenda est.

7. In unaquaque specie solubilitatis et solutionis pondus speciale tribui debet *consummationi*, quae accidit in respectivo matrimonio solvendo; quae ratio valet etiam in casibus Privilegii Petrini. Sunt enim ipsae Sacrae Litterae, quae specialem effectum et pondus tribuunt actui quo duo fiunt una Caro; ideo verbum Domini « Quod Deus coniunxit, homo non separet » (Mt. XIX, 6), speciali modo applicari potest et debet matrimonio consummato. Nam secundum Scripturam « homo adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una » (cf. Mt. l. c., 5). Quem effectum « uniendi » non competere soli « vinculo iuris », quod in matrimonio habetur, sed ipsi actui copulae (ex eius interna natura et indole), apparet ex argumentatione Apostoli, scribentis ad Corinthios: « An nescitis quoniam qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim (inquit) duo in carne una. Tollens membra Christi faciam membra meretricis? » (1. Cor. VI, 16. 15).

A minore ad maiorem firmitatem vinculi (vel a maiore ad minorem solubilitatem) si quis procedere vult, haec series et successio statui potest: 1. matrimonium non-consummatum, 2. matrimonium consummatum; in matrimoniis consummatis dein ulterior distinctio et series designanda est, scl.: *a*) matrimonium consummatum, ab initio initum inter duos non-baptizatos, *b*) matrimonium consummatum, ab initio initum inter unam partem baptizatam et alteram partem non-baptizatam

(casus typicus Privilegii Petrini); *c*) matrimonium consummatum, ab initio initum vel inter duos infideles vel inter unam partem fidelem et alteram partem infidelem, sed dein conversum in matrimonium inter duos baptizatos, eo quod utraque pars evasit baptizata; (in quo casu matrimonium, quod antea spectabat ad Privilegium Petrinum, excidit ex propria eius sphaera); *d*) matrimonium consummatum post utriusque partis baptisma, sive antecedens sive subsequens matrimonii celebrationem. Hoc matrimonium nullam habet solubilitatem.

Ad matrimonium *sacramentale*, (in oppositione ad matrimonium naturale), idest: quod ex institutione Christi habet rationem sacramenti Novae Legis et specialem atque intrinsecam relationem ad Christi cum Ecclesia unionem (cf. Eph. V, 22-32), hic non attenditur, quia sacramentale matrimonium est extra campum Privilegii Petrini proprie et presse dicti, prout hic intellegitur.

8. *De regulis*, quas Ecclesia *in usu potestatis Privilegii* Petrini sequitur, valent primo loco ea, quae quasi ex natura rei deducuntur, scl.:

1) *Firmitati* vinculi nullum praeiudicium creandum est; bonum enim commune totius generis humani exigit, ut vinculum matrimoniale sit et servetur firmum. Ideo enitendum est, ut vinculum, quod *psychologice* et in *actione vitae* relaxari coeptum est, iterum psychologice et per concordem cohabitationem consolidetur, (prout n. 4 iam est dictum). Semper Ecclesiae prae oculis ver-

satur, tamquam regula fundamentalis: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.*

2) Cum solutio vinculi versetur in iure divino, ad eam valide peragendam *requiritur causa iusta et proportionate gravis.* Nam qui in lege alterius, superioris ipso, dispensat, non potest vinculum legis relaxare ad beneplacitum suum, sed solummodo ad beneplacitum legislatoris superioris; hic autem (idest in casu ipse Deus et Christus) censeri non potest consentire solutioni, solidis rationibus non fultae.

3) Solutioni vinculi, (non obstantibus rationibus gravibus ad validam et licitam solutionem plene sufficientibus), obstare potest *ratio scandali* vel admirationis hominum. Ideo occurrunt hoc loco observanda ordinaria principia de scandalo; de scandalo evitando vel removendo, de scandalo neglegendo vel tolerando; de scandalo simplici, de scandalo pharisaico, de scandalo pusillorum; de quo ultimo bene attendi debent, quae Apostolus gentium exponit in primo epistula ad Corinthios (1. Cor. VIII, 7-13). Scandalum pharisaicum generatim sperni potest; nihilominus eius ratio haberi debet, si inde gravia damna religioni oritura praevidentur.

Scandalum et admiratio hominum, quae aliquando ex erroneo iudicio de exaggerata indissolubilitate matrimoniorum oriuntur, praecaveri vel tolli possunt proponendo veram Christi doctrinam, et ita corrigendo errorem, qui est fons et causa huius scandali. Esse tamen potest, ut in tali casu usus non debeat fieri Privilegii Petrini, usque dum respectivus error non fuerit correctus.

9. Specialis movetur quaestio de *favore fidei*, tamquam *motivo specifico*, propter quod Privilegium Petrinum exerceatur. Hinc inde enim ipsum Privilegium dicunt « dispensationem in favorem fidei »; iam in prima huius articuli parte monitum est, etiam in « NORMIS » de processu informativo ante usum Privilegii Petrini instituendo hic modus loquendi adhiberi, cum e contra C. I. C. hanc phrasim applicet tantum ad Privilegium Paulinum, dicendo in can. 1120 § 1: « Legitimum inter non-baptizatos matrimonium ... solvitur in *favorem fidei* ex privilegio Paulino ». Sunt qui eo usque procedunt, ut dicant: Privilegio Petrino locum dari non debere, nisi sub aliquo respectu aliquis « favor fidei » designari queat.

Talis « favor fidei » esse potest sat varius; e. gr.: *conversio ad fidem catholicam* unius partis (sive partis non baptizatae, sive partis baptizatae, sed non catholicae); *in tuto collocatio fidei catholicae* coniungis iam ante matrimonium baptizati, sed tandem post matrimonium ad fidem catholicam conversi vel se conversuri, (comparte non baptizata permanente in infidelitate). Saepe « favor fidei » principaliter verificatur non in uno coniuge, sed in *prole* (ex coniuge vel pseudo-coniuge orta). Haud rari enim sunt casus matrimoniorum per Privilegium Petrinum solvendorum quae initio contracta fuerunt inter unam partem non baptizatam et alteram partem baptizatam; coniuges vinculum dein solvere attentarunt per divortium et, divortio obtento, transierunt (vel utraque vel alterutra pars) ad novas nuptias civiles sive cum persona baptizata (forte etiam catholica) sive cum

persona non-baptizata. Ex novis autem his pseudo-nuptiis saepe proles (forte numerosa) habetur, et de huius prolis baptismate et educatione catholica agitur. Sed salus huius prolis sperari vel in tuto collocari saepe non potest, nisi novis istis pseudo-nuptiis in facie Ecclesiae convalidatis; et hae pseudo-nuptiae convalidari non possunt, nisi soluto primi matrimonii per Privilegium Petrinum vinculo. Primo autem illo vinculo soluto, et dein secundo convalidato, tandem efficaciter provideri potest bono religionis catholicae, quoad *prolem* (necnon saepe etiam quoad genitores). In his igitur casibus « favor fidei » magis verificatur in prole quam in genitoribus; tales casus Privilegii Petrini sunt saepe complicatissimi, qui accuratum profundumque exigunt studium, (idque eo magis, quod aliquando in uno eodemque casu « favor fidei » simul suadere et dissuadere videtur usum Privilegii Petrini; si e. gr. prioris vinculi solutio petitur in favorem alicuius pseudo-matrimonii *mixti* convalidandi, quia pars non-catholica recusat conversionem ad fidem catholicam. In tali casu *proles* ex hoc matrimonio nata et catholice educanda designat « favorem fidei »; ipsum autem matrimonium *mixtum* quod severissime ab Ecclesia prohibetur (cfr. can. 1060), offendit contra « favorem fidei ». Sic in eodem casu collidunt emolumentum et nocumentum fidei; in solvendo casu inquiri debet, quid praevaleat; et prae oculis habeatur: ordinarie exigere Ecclesiam, ut in casu convalidandi pseudo-matrimonii mixti pars non-catholica sese convertat ad fidem catholicam; neque enim expedire videtur: Pontificem concedere *gra-*

tiam solutionis vinculi in favorem matrimonii non-catholici.

10. At quaeri potest, utrum requisitus hic « favor fidei » constituat « condicionem sine qua non » pro usu Privilegii Petrini (sive ex natura rei sive ex positiva lege, quae posset esse vel divina vel ecclesiastica, prout exiguntur *interpellationes* in usu Privilegii Paulini), an aliquoties abstrahi queat a « favore fidei » et poni *aliud motivum universalius*, (quod sub se contineat « favorem fidei », tamquam motivum magis particulare et specificum; quod motivum universalius huic motivo specifico « favoris fidei » superordinatur). Ad dilucidandam et solvendam hanc quaestionem expedire videtur loco inquisitionis mere scientificae et privatae ponere discussionem respectivi argumenti, exhibitam in Allocutione Pii XII, habitam ad S. R. Rotam d. 3 Octobris 1941 (A.A.S. 33 (1941) 421-425). Pontifex prius exponit, quid iuris divini sit quoad *solubilitatem* matrimoniorum et quoad Pontificis *potestatem solvendi* (cf. supra n. 5, versus finem), dein transit ad designandam normam, qua *usus* huius potestatis regatur:

« Per la indissolubilità o dissolubilità del matrimonio non può nella Chiesa valere altra norma e prassi se non quella stabilita da Dio, Autore della natura e della grazia.

Al quale riguardo due sono i passi dei Libri Santi, che in certo modo indicano i limiti, entro i quali la soluzione del vincolo deve rimanere, e che escludono sia il lassismo odierno sia il rigorismo contrario alla volontà e al mandato divino. L'uno è: « Quod Deus coniunxit, homo non separet » (Matth., 19, 6); vale a dire, non

l'uomo, ma Dio può separare i coniugi, e quindi è nulla la separazione ove Dio non scioglie il loro vincolo. L'altro è: « Non servituti subiectus est frater aut soror ...: in pace autem vocavit nos Deus » (I Cor., 7, 15); vale a dire, non vi è più servitù nè vincolo ove Dio lo scioglie e permette così al coniuge di passare lecitamente a nuove nozze. In ogni caso, la norma suprema, secondo la quale il Romano Pontefice fa uso della sua potestà vicaria di sciogliere matrimoni, è quella che già in principio abbiamo additata come la regola dell'esercizio del potere giudiziario nella Chiesa, vale a dire la *salus animarum*, per il cui conseguimento così il bene comune della società religiosa, e in generale dell'umano consorzio, come il bene dei singoli trovano la dovuta e proporzionata considerazione » (A.A.S., l. c. pg. 425-426).

11. His verbis designatur tamquam « norma suprema » *salus animarum*, et asseritur, eo quod haec « salus animarum » obtineatur: et bonum commune « societatis » (atque « bonum totius generis humani »), et bonum « singulorum » invenire debitam et proportionatam considerationem. — In Procuranda hac « salute animarum » latere et habere etiam « *favorem fidei* », evidens est. — *Usum Privilegii Petrini* verbis Pontificis includi, habetur ex eo, quod Pontifex sine distinctione loquatur de potestate solvendi vinculum, et explicite effert id quod dicturus sit, valere in *omni casu* (« in ogni caso »). — Quod haec regula « salutis animarum » superordinetur et non subordinetur regulae « favoris fidei », significatur eo, quod Pontifex hanc regulam dicit « normam supremam ». — In « salute animarum » secundum Pontificem continetur tum « bonum commune » societatis, tum « bonum privatum singulorum ». In casu conflictus

inter utrumque hoc bonum praevalere bonum commune prae bono privato, non explicite enuntiatur, sed patet ex principio universali, ab omnibus admisso de praevalentia boni communis prae bono privato eiusdem ordinis. Extra autem casum conflictus inter duo haec bona bonum privatum singulorum exhibere motivum licitum et sufficiens pro usu Privilegii Petrini, verbis Pontificis sufficienter significatur. Intrare in quaestionem de periclitato bono communi supra memoratam quaestionem et supra memorata principia de *scandalo* atque de *periculo scandali,* vix est, cur explicite memoretur.

12. In potestate Pontificia (et in norma generali « salutis animarum ») contineri etiam casum matrimonii, ab initio initi cum *praevia dispensatione ab impedimento* disparitatis cultus, inter partem non-baptizatam et partem baptizatam « *catholicam* », ex modo dictis sponte sua deducitur. Latissima verba Pontificis hunc casum non excludunt, nec explicite nec implicite; ergo quoad « principium » includunt. — Hunc casum non excludi § 2 can. 1120, — (qui est de Privilegio *Paulino,* non de Petrino, et qui vi inquisitionis scientificae et historicae ad Petrinum trahi non potest) —, iam in prima huius articuli parte (n. 15) dictum est. — Utrum talis casus excludatur iis, quae supra exposita sunt de scandalo evitando, est quaestio facti. *Si* concessa in huiusmodi casibus vel in quodam casu particulari solutio vinculi revera speciale periculum creat, ne alii ad ineunda matrimonia cum disparitate cultus incitentur —

(ut scl. quasi contrahant ad experimentum, cum temeraria spe petendi post annos usum Privilegii Petrini) —, aut si in tali casu collisio salutis animarum « *privatae* » cum salute animarum « *communi* » et antepositio salutis privatae ante salutem communem causaretur: haberetur sane gravis ratio excludendi usum Privilegii Petrini. Sed talia facta vel tales praesumptiones non solum asserendae, sed probandae sunt. De caetero hae considerationes ex natura rei valent de *omni dispensatione* vinculi, etiam matrimonii rati et non-consummati (can. 1119); et tamen in respectivo canone non ponuntur similes condiciones, sed exigitur « iusta causa », quae sane est « salus animarum » etiam privata, (*dummodo* haec in hoc casu peculiari non offendat (hoc vel illo modo) *contra* bonum salutis animarum commune). — Neque tandem specialis ratio pro concedenda solutione vinculi in casu praeviae dispensationis a D. C. exigenda est ideo, quia Ecclesiae in tali casu iam semel de hoc matrimonio iudicavit, et, dando dispensationem a D. C., sententiam tulit: hoc matrimonium componi posse cum « bono fidei »; et quia ideo Ecclesia sibi ipsi contradiceret, enuntiando nunc, via facti (scl. per dispensationem eiusdem vinculi): hoc matrimonium tamen offendere contra bonum fidei et propterea nunc in favorem fidei solvi. Haec consideratio non valet, quia condiciones casus peculiaris in decursu temporis ita mutari possunt, ut idem vinculum tempore vinculi contrahendi cum bono fidei componi potuerit, postea autem (tempore vinculi iam contracti) bono fidei contradicat, ideoque nunc, mutatis condicionibus, solidae

rationes adsint hoc vinculum in favorem fidei solvendi. — Neque maiorem vim habet alia ratio quae hinc inde ad legitimandam negationem gratiae afferunt, scl. partes, ineuntes matrimonium cum dispensatione D. C., scivisse, se specificum periculum infelicis successus ex disparitate cultus subire, ideoque partes non posse conqueri, si postea (denegata gratia solutionis) debeant in hac condicione permanere. Haec ratio valet de omni vinculo matrimoniali, quod partes contrahunt, etiam de vinculo rato; et tamen ipsis — uti modo dictum est — conceditur ex « iusta causa » solutio vinculi, neque affertur ulla peculiaris solida ratio, cur dictum « risico », deliberate admissum, praecise in casu Privilegii Petrini, si antecesserit dispensatio D. C., excludat solutionem vinculi.

At, hae hic institutae deliberationes non habent nisi valorem inquisitionis scientificae privatae. Quid Ecclesia et Summus Pontifex tamquam normam in casu praeviae dispensationis pro concedenda solutione exigere velint et ob quasnam rationes ita agant: eorum est decidere; et tali eorum decisioni semper stari debet.

13. Pauca addenda videntur de *praxi Privilegii Petrini,* prout nunc in Ecclesia exercetur. Ex NORMIS quibus via describitur, qua Ordinarii in praevio processu informativo — (qui ante usum Privilegii Petrini, per ipsum Pontificem exercendum, ex lege positiva ecclesiastica institui debet) — procedere debent, nonnulla memoranda videntur, ut pateat: Ecclesiam sua potestate non uti nisi

circumspecte, caute, cum magna reservatione, post diligens examen omnium casus particularis condicionum. In initio NORMARUM breviter effertur, de quibusnam matrimoniis agatur, scl. de matrimoniis, initis inter acatholicos, quorum saltem unus non sit baptizatus, et de talium matrimoniorum vinculo solvendo. — Ad *officialem cognitionem* rei tractandae unice competens designatur S. Officium (can. 247 C. S. C.); ipsa *solutio vinculi* dicitur non concedi nisi constiterit de condicionibus praerequisitis et de causis gravissimis, ob quas solutio petatur. — Quod ad has *condiciones* attinet, aliae dicuntur essentiales, aliae non essentiales. Conditiones *essentiales* sunt duae: 1) carentia baptismatis, 2) non-usus matrimonii, post baptisma partis infidelis celebrationi matrimonii forte superveniens.

1) *Carentia baptismatis* in alterutro coniuge, perdurans toto tempore vitae coniugalis, ita demonstranda est, ut omne prudens dubium excludatur. Haec demonstratio praestari debet in *formali processu,* servatis iuris processualis regulis: de depositionibus partium, testium, de interventu defensoris vinculi, de examinandis documentis, etc. etc. De carentia baptismatis hoc modo et via interrogari debent: ipse coniux, qui non se esse baptizatum asserit; alter coniux; coniugis non-baptizati parentes, consanguinei; alii, praesertim qui tempore infantiae oratori adstiterunt, qui totum eius vitae cursum noverunt. Testes interrogandi sunt etiam de circumstantiis, ex quibus probabile et credibile apparet: baptismum revera numquam esse administratum. Examinan-

di sunt insuper libri baptismales ecclesiarum vel sectarum, ubi prudens suspicio est: coniugem, qui se asserit non baptizatum, potuisse baptismum recipere. — Specialis regula datur relate ad testes non-catholicos audiendos, qui nolunt coram sacerdote catholico se sistere.

2) Altera condicio essentialis est *non-usus matrimonii* inter partes de quibus agitur, si post matrimonium initum, supervenit baptismus partis ante celebrationem matrimonii non-baptizatae. In hac altera condicione probanda occurrunt omnia facienda et probanda — (quoad *id quod* et quoad *modum quo*) — quae fieri et praestari debent in processibus de inconsummatione matrimonii.

Si pars, antea non-baptizata, nunc est baptizata, iam habetur matrimonium ratum; quod per se est extra campum Privilegii Petrini. Si post hoc baptismum coniuges per copulam suo iure usi sunt, habetur matrimonium ratum et consummatum; quod ex iure divino est absolute indissolubile. Ideo tunc omnis ulterior inquisitio est superflua.

Aliae condiciones requisitae, sed *non-essentiales*, in NORMIS designantur item duae, scl.: 1) moralis impossibilitas restaurandae vitae coniugalis; 2) absentia scandali et admirationis (tum apud catholicos tum apud non catholicos) ex eventuali gratiae concessione orituri, quasi Ecclesia impio divortiorum usui sua praxi foveat. Etiam harum condicionum impletio argumentis sufficientibus fulciri debet.

14. Quia generatim Orator, antea non baptizatus, postea ad fidem transit vel brevi transiturus est, etiam in *sinceritatem conversionis* inquiri, et de ea ad S. Sedem referri debet. — Insuper nonnulla alia per Ordinarium significari debent S. Sedi; ita: utrum orator (item eius compars) *alias nuptias* attentaverint vel in concubinatu vivant; an ex primo matrimonio aut ex attentato altero *proles* habeatur; si affirmative: quomodo orator prolis educationi religiosae provideat vel providere intendat; utrum ulla probabilis habeatur *spes restaurandae vitae coniugalis* (quae petitur quoad vinculum solvenda); utrum ab oratore posita fuerit vel non fuerit *causa separationis* vel divortii, ita ut appareat, num ipse sit in culpa.

Finito processu informatorio, Ordinarius omnia Acta et Documenta, quae ad rem faciunt, ad S. Officium transmittere, de absentia vel non absentia scandali expressis verbis referre tenetur suamque mentem manifestare, an suadeat vel dissuadeat gratiam solutionis, et quaenam sint causae graves pro gratia solutionis concedenda.

15. Quae omnia, si attente considerantur et aequa lance pensantur, ostendunt: Pontificem nolle transire ad vinculum mediante usu Privilegii Petrini solvendum, nisi ex seria et accurata inquisitione de praerequisitis essentialibus et non-essentialibus necnon de causis gravibus pro gratia concedenda constiterit; eum ergo non pronum et facilem esse ad solutionem concedendam, sed magna reservatione uti.

16. Qui in cura animarum versantur, ex exposito hoc Ecclesiae agendi modo et ex huius articuli NOTIS deducere possunt: non posse quem licite proclivem esse ad suadendam vel procurandam matrimoniorum solutionem, eo quod fidelibus ostendat viam Privilegii Petrini, eosque ad eam ingrediendam impellat, nisi exstantibus urgentibus, positivis gravibusque causis. Sed ex altera parte qui sunt in cura animarum ex hic expositis se certiores reddere possunt: esse viam, qua qui in gravi necessitate et in angustiis conscientiae versantur, saepe iuvari possint; insuper eos qui auxilio hoc egent instruere possunt, quomodo se gerere debeant. Cum in dies augeatur numerus eorum qui baptismate carent et augeatur numerus matrimoniorum, quae baptizati, non catholici, cum non-baptizatis ineant, (aut civilia matrimonia attentantur cum parte catholica): rebus sic stantibus, in dies augetur etiam numerus casuum, in quibus solvendis ad Privilegium Petrinum recurri potest et aliquando etiam debet.

17. Quod si in fine totius expositionis quaeritur, an brevis formula confici queat, quae *conformiter et analogice ad C. I. C. can. 1120* (de Privilegio Paulino) normam pro usu Privilegii Petrini exhibet, sequens formula exhibere videtur omnia, quae exhibenda sunt:

§ 1. Matrimonium, licet consummatum, initum inter partem baptizatam et partem non baptizatam, dissolvitur ex privilegio Petrino per dispensationem Sedis Apostolicae ex iusta causa

(can. 1119), imprimis in favorem fidei (can. 1120 § 1) concessam.

§ 2. Hoc tamen privilegium, salva norma § 1, regulariter ex dispositione Ecclesiae non obtinet in matrimonio inter partem baptizatam et partem non baptizatam, inito cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus (can. 1120 § 2), nisi in casu particulari Sedi Apostolicae ob rationes peculiares aliud visum fuerit.

FRANCISCUS HÜRTH, S. I.

DE CONGREGATIONIS MARIANAE EXEMPTIONE

His recentibus annis multa de iure Congregationis Marianae egregie sunt exarata. Nihil vero praestantius apparuit quam Constitutio Apostolica *Bis Saeculari* a Summo Pontifice Pio XII edita [1]. Nec desunt scriptores qui annotationes seu commentaria in eandem constitutionem accurate et lucide confecerunt [2]. Nobis vero non est prorsus eamdem viam premere sed potius visum est utile quaedam proponere de statu exemptionis qua munita est Congregatio Mariana fere ab exordio suo.

Ante Codicem Iuris Canonici promulgatum, Congregatio Mariana apud confraternitates late dictas iure censeri poterat. Iamvero ius vetus, de quo loquendum est, omnes confraternitates a regularibus sive erigendas sive archiconfraternitatibus aggregandas, ex intento legislatoris Clementis VIII regulare debuit. In bulla *Quaecumque* edita 7 dec. 1604 Pontifex leges condidit iuxta quas omnes confraternitates deinceps erant instituendae seu erigendae et aggregandae. Haec bulla ad formam simpliciorem reducta est a S. C. de Indulgentiis die 8 ian. 1861 ut diligentius statuta

---

[1] AAS. XL: 395, 27 sept. 1948.

[2] Cf. BUSUTTIL, *Commentarium in Constitutionem Apostolicam « Bis Saeculari »*; BRIEN, *La Constitution Apostolique, « Bis Saeculari »*; AGUIRRE, Periodica, *Constitutio Apostolica de Congregationibus Marianis,* Periodica 37: 345-365.

Clementina servarentur [3]. Valuit inde ius Clementinum ad tempus Codicis.

Praescriptis iuris anterioris propositis, videbitur fundamentum iuridicum quo stabilita est exemptio Congregationis ante Codicem [4]. His consideratis ad quaedam particularia comparanda inter ius Marianum et disciplinam Clementinam progrediemur.

Ius Clementinum

In ipso exordio bullae *Quaecumque*, Clemens declaravit ipsi incumbere munus occurrendi abusibus manifestatis in erectionibus et aggregationibus confraternitatum iam factis. Sic loquitur Pontifex:

« ... tamen cum Romanus Pontifex, de animarum salute sollicitus, progressu temporis animadvertit sensim *aliquos abusus* in eisdem statutis et decretis observandis provenire, debet, pro sui pastoralis officii munere, illis opportuna ratione occurrere et, quantum cum Domino potest, *adhibito salutari remedio, providere* » [5].

Et procedit ad abusos particulares indicandos:

« ... propterea sive *negligentia* Superiorum Ordinum, Religionum et Institutorum, vel Officialium Archiconfraternitatum et Congregationum erigentium, instituentium, aggregantium et communicantium, quae Confraternitatibus et Congregationibus erigendis, instituendis et aggre-

---

3 Decreta Authentica S. C. Ind., Appendix XII, pp. 465 ss.

4 In articulo sequenti studium de exemptione Congregationis post Codicem instituetur.

5 Codicis Iuris Canonici Fontes 1: 192.

gandis, et quibus communicationes privilegiorum, Indulgentiarum aliarumque gratiarum praedictarum fiunt, *non servant formam* in huiusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus et communicationibus servari debitam, neque praescribunt modum quo privilegia, Indulgentias, facultates aliasque spirituales gratias et indulta praedicta consequi debeant; seu ipsarum confraternitatum et Congregationum *incuria,* quae non inquirunt ea quae praestare oportet ut illa consequentur: *nonnullae pravae consuetudines irrepserunt multaque incommoda inde provenerunt* »[6].

Animadvertit Sebastianelli:

« At est haec rerum humanarum conditio, ut sanctissima etiam instituta, utpote hominibus coalescentia, haud raro incommodis causam suppeditent. Cum itaque sodalitates *a proprio deflecterent fine,* Pontifices Maximi rei catholicae vigilantissimi custodes, constitutiones edidere, quibus curaverunt, ut sodalitates finem, ad quem ordinatae erant, facilius ac totius consequerentur, Principem inter alias tenet locum const. R. P. Clementis VIII « Quaecumque » 7 decemb. 1604 confirmata a Paulo V et a Pio IX in litteris encyclicis per organum S. Cong. Indulg. Haec constitutio exhibet uniformem et solemnem formam ab Episcopis aliisque Praelatis prae oculis habendam in sodalitiis ac confraternitatibus erigendis atque instituendis »[7].

Praescripta Clementina in relato decreto S. C. Ind., de novo sunt statuta. Quia ius idem est etsi clarius exhibetur in decreto praedicto, hoc subiungere iuvat.

---

[6] Idem, § 2.

[7] Praelectiones Iuris Canonici, De Personis, p. 438, ed. 2ª, Romae 1905.

N. N. Ordinis N. Generalis

Religio nostra, cum inter alia privilegia quibus a Sede Apostolica decorata est, facultatem habeat saecularium Confraternitates sub invocatione N. erigendi, eisque spirituales gratias, privilegia et Indulgentias communicandi, in huiusmodi Confraternitatibus instituendis, si ad Christi fidelium salutem promovendam expedire animadvertit, liberalem se praebere consuevit.

Nos igitur, qui generalem totius Ordinis nostri curam gerimus, sperantes fore ut ex hac spiritualium gratiarum participatione Christi fideles ad devotionem et pietatem magis excitentur, auctoritate Nobis a Summis Pontificibus concessa, Confraternitatem N. in Ecclesia N., loci N., dioecesis N., de consensu loci Ordinarii, qui eiusdem Confraternitatis institutum, pietatem ac religionem patentibus Nobis nuper exhibitis, commendavit, dummodo *talis alia similis* in ipso vel alio ad tria milliaria propinquo loco hactenus erecta non fuerit, per praesentes Nostras litteras erigimus et instituimus, illique et pro tempore existentibus utriusque sexus Confratribus elargimur et communicamus *Indulgentias, privilegia et speciales gratias singillatim descriptas in elencho,* quem, rite *per Ordinarium* loci recognitum, una cum his litteris tradimus diligenter asservandum.

Quibus omnibus Indulgentiis et spiritualibus gratiis descriptis Confraternitatem ipsam nunc erectam eiusque Confratres potiri et gaudere posse decernimus, iuxta ea quae felicis memoriae Clemens Papa VIII in Constitutione quae incipit Quaecumque, data sub die Decembris 1604, praescripsit, et variationes a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX approbatas, ut ex decreto Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 8 Ianuarii, 1861, et cuius Constitutionis praecipua capita cum dictis variationibus subnectuntur scilicet:

1) Quod *unica* tantum Confraternitas eiusdem instituti et generis institui et aggregari possit in Ecclesiis tam saecularium quam regularium;

2) Quod id fiat *de consensu Ordinarii* et cum litteris testimonialibus eiusdem;

3) Quod Confraternitati institutae vel aggregatae expresse et in specie *communicentur privilegia* et *Indulgentiae* Ordini instituenti vel aggreganti nominatim concessa, non vero ea quibus *per privilegium communicationis* gaudet;

4) Quod statuta Confraternitatum examinentur et approbentur ab Ordinario loci et ab eodem corrigi possint;

5) Quod gratiae et Indulgentiae Confraternitati communicatae *praevia cognitione* Ordinarii dumtaxat promulgentur;

6) Quod confraternitas *eleemosynas excipiat* et *erogent iuxta formam per Ordinarium praescribendam*;

7) Quod litterae erectionis et aggregationis gratis omnino ac *nulla* prorsus *mercede*, etiam a sponte dantibus, sub praetextu quoque eleemosynae, accepta expediri et concedi possint, et *solummodo titulo expensarum* pro pergamena, scriptura, vel impressionis stipendio, sigillorum expensis, chordulis, cera, Secretarii Notariique labore vel mercede, aliisque omnibus, eam quantitatem quae non excedat summam scutatorum sex monetae Romanae in Italia, et extra non excedat summam libellarum vulgo francs triginta, pro singula institutione vel aggregatione vel confirmatione recipere liceat;

8) Quod singula hic mandata et expressa in omnibus suis partibus fideliter observentur, secus institutiones vel aggregationes et communicationes privilegiorum et Indulgentiarum *nullius sit roboris* et *momenti*, et quilibet Superiorum atque Officialium privationis officiorum quae obtinent atque inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda poenam eo ipso incurrant; quae ab alio quam a Romano Pontifice remitti non possit.

In quorum testimonium etc. [8].

---

[8] Decreta Authentica S. C. Ind., Appendix XII, pp. 465 ss.

Ut iam dictum est, in minimis discrepat decretum S. C. Ind. memoratum a bulla Clementina. In decreto omissa est mentio facultatis concessae quibusdam confessoribus absolvendi a casibus et censuris intra limites in bulla praefinitos. Silet praeterea decretum de tempore statuto infra quod impetrandae erant litterae erectionis, aggregationis etc. secundum formam a Sede Apostolica approbatam nisi dictae erectiones, aggregationes etc. nullius valoris essent habendae. Denique monitum de interpretanda bulla contra mentem Pontificis in decreto S. C. Ind. non refertur [9].

Exemptio Congregationis Marianae a Iure Clementino

Quamvis superioribus regularibus universis obedientia iuncta esset vi bullae Clementinae, locus exemptionis a praefata bulla non omnimode excludebatur in casu Congregationis Marianae ob rationes peculiares inferius exponendas. Proindeque, mirum non est P. Claudium Aquaviva, Praepositum Generalem Societatis Iesu has litteras scripsisse etiam ante exemptionem a Gregorio XV formaliter concessam. Sic scripsit P. Claudius:

« Non dubito quin desiderata iam pridem fuerit a nostris aliqua declaratio pro Congregationibus externorum quae in Societatis nostrae Domibus Collegiisque versantur, circa decretum hac de re editum a Clemente VIII felicis recordationis. Verum hactenus ob Sedes vacantes novorumque Pontificum creationem, nullum in hoc negotio responsum elici potuit. Nuper tandem cum actum

[9] Fontes 1: 192 §§ 9, 10, 13.

fuisset cum Pontifice et in iudicium suum Rituum Congregationi demandasset, declaratum ab illa est Congregationes quae in Domibus aut Collegiis Societatis nostrae institutae sunt hoc decreto minime comprehendi; ideoque posse nos erga illas procedere easque acceptare et regere citra dependentiam ab Ordinariis, non aliter quam antea solebamus.

De quo quidem monendam his censui Reverentiam Vestram ut perspectam habeat mentem Sanctitatis Suae ac Dominorum Cardinalium eiusdem Congregationis, omnesque Provinciae suae Superiores de ea certiores faciat ... etc. »[10].

Gregorius XV in bulla *Alias pro parte,* data 15 apr. 1621, in qua renovavit favores Congregationi Marianae a Gregorio XIII et Sixto V concessos, eamdem congregationem exemptam a praescriptis bullae *Quaecumque* formaliter declaravit.

« Decernentes praedictas Gregorii et Sixti praedecessorum necnon praesentes litteras sub constitutione recentis memoriae Clementis Papae VIII, similiter praedecessoris Nostri super modo et forma Confraternitates erigendi, aggregandi edita, *minime comprehendi,* irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari »[11].

In celeberrima Bulla Aurea Benedicti XIV, *Gloriosae Dominae,* Congregatio summis laudibus est cumulata eiusque opera pia et apostolica sunt approbata, iterata declaratione exemptionis a iure Clementino de erectione et aggregatione confraternitatum. Hisce verbis exemptionem confirmat:

---

10 MULLAN, *La Congregazione Mariana Studiata nei Documenti,* Roma, 1911, nn. 795 s.

11 MULLAN, o. c., n. 833.

« ... praedicti Clementis praedecessoris super modo et forma Confraternitates erigendi et aggregandi edita, cui ad praemissorum omnium et singulorum validitatis effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse ac latissime et plenissime, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, harum serie derogamus; et aliis Apostolicis Constitutionibus, nec non omnibus illis quae singuli praedecessores praedicit in suis praeinsertis litteris voluerunt non obstare; caeteris contrariis quibuscumque » [12].

Publicato decreto S. C. Ind., nuper relato confirmataque lege in *Quaecumque* statuta, exemptio Congregationis Marianae in discrimen vocari videbatur. Etenim clausula derogativa ad finem decreti apposita sat comprehensiva et universe applicabilis apparebat.

« Atque Sanctitas Sua hoc decretum absque ulla Brevis expeditione publicari iussit, *derogando cuicumque Apostolicae dispositioni in contrarium, etiam specialis memoriae dignae* [13].

Mox vero Prefectus S. C. Ind., Card. Asquinius privatim asseruit privilegium aggregandi congregationes ad Primam Primariam hoc decreto neque attingi neque infirmari. Facultas aggregandi eas declarata erat stabilis a Leone XII per brevem *Cum Multa,* 17 maii 1824 et per decretum S. C. Ind. 7 mart. 1825 [13a]. Aliae rationes allatae sunt ob quas exemptio pluries confirmata integra censeri debuerit. Erectiones et aggregationes omnino gratis factae erant; formula adhibita reco-

---

12 Opera Omnia Benedicti XIV, vol. 16, pp. 428 ss.
13 Authentica Responsa S. C. Ind., n. 388.
13a MULLAN, o. c., pp. 127*, 130*.

gnita at approbata fuerat; in locis Ordinario loci subiectis praevia licentia Ordinarii semper impetrata erat; demum cum magno fructu animarum congregationes processerunt. Ad deponendum dubium quaesitum est utrum supradictum privilegium ut suppressum haberi debuerit. Delatum est responsum per aliquot menses. Tandem sequens dubium Sacrae Congregationi propositum est:

« Utrum in praefato decreto 8 ianuarii 1861 comprehendantur institutiones et aggregationes, fieri solitae a Congregatione B. Mariae Virginis ab Angelo salutatae, in Collegio Romano erecta, nuncupata Prima-Primaria, iuxta peculiarem et propriam formulam, qua, vi concessionum plurium Summorum Pontificum, illius Societatis Moderatores usi sunt et adhuc utuntur?

S. Congregatio, in generalibus comitiis habitis apud Vaticanum die 29 augusti 1864, auditis Consultorum votis, et re mature perpensa, respondendum duxit: *Non comprehendi* »[14].

Anno 1885, R. P. Antonius Anderledy, Vicarius Generalis Societatis Iesu ad Summum Pontificem Leonem XIII preces extendit ut exemptio a regulis Clementinis item comprehenderet congregationes erigendas extra loca S. I. easdemque aggregandas Primae Primariae. Cui petitioni annuit Pontifex.

« Et quoniam iampridem Summi Pontifices, imprimis bonae memoriae Benedictus Papa XIV in Bulla Aurea Gloriosae Dominae data die 27 Septembris, 1748, tum re ipsa tum verbis explicitis et amplissimis, Primam Primariam Collegii Romani et Congregationes omnes ei aggregatas a Constitutione Quaecumque felicis recorda-

---

[14] Cf. Institutum S. I., I: 411 s. et Decreta S. C. Ind., n. 413.

tionis Clementis VIII, super modo et forma Confraternitates erigendi et aggregandi edita, eo consilio exemerant ut latius faciliusque propagarentur pluresque fideles gratiarum illis concessarum possent esse participes, Sanctita Tua ad praescindenda dubia et difficultates, eamdem exemptionem ad *externas quoque* Congregationes Beatae Mariae Virginis iam erectas et ad quascumque Societates, Confraternitates seu Congregationes Primariae aggregatas, sive cum consensu Ordinarii erigendas et aggregandas, eodem modo velit extendere quo antea pro Congregationibus vel Confraternitatibus constitutis in Societas Ecclesiis et Domibus vel eiusdem curae commissis fuerat concessa ...

Sanctissimus Dominus Noster, Leo Papa XIII, in audientia habita die 3 Iunii, 1885, ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, praevia petita sanatione, benigne annuit in omnibus iuxta preces ... »[15].

Die 13 iul., 1886, Leo XIII omnes facultates, *exemptiones* etc., Societati hactenus concessas confirmavit. Quae confirmatio sane, exemptionem Congregationis Marianae a Iure Communi comprehendit.

« Dolemus inter ...

Omnes et singulas litteras Apostolicas quae respiciunt erectionem, institutionem et confirmationem Societatis Iesu, per Praedecessores Nostros Romanos Pontifices a felicis recordationis Paulo III ad haec usque tempora datas, tam sub plumbo quam in forma Brevis confectas, et in iis contenta atque inde secuta quaecumque, necnon omnia et singula vel directe vel per communicationem cum aliis Ordinibus Regularibus eidem Societati impertita quae tamen dictae Societati non adversen-

---

15 Institutum Soc. Iesu, I, p. 430 ss. Congregationes Marianae extra loca S. I. institutae quandoque vocantur congregationes externae.

tur, neque a Tridentina Synodo aut ab aliis Apostolicae Sedis constitutionibus, in parte vel in toto, abrogata sint et revocata, — privilegia, immunitates, *exemptiones, indulta* — hisce litteris confirmamus et Apostolicae auctoritatis robore munimus, iterumque concedimus ... »[16].

His igitur recensitis documentis, patet Congregationem Marianam exemptam manere a dispositione iuris anterioris circa erectionem et aggregationem confraternitatum.

Comparatur ius Congregationis cum iure communi anteriore

Stabilita exemptione Congregationis Marianae a praescriptis Clementinis inspiciendum est quousque se extenderit dicta exemptio. Etenim cum aliis regulis iuris communis ius Congregationis vere concordavit; cum aliis autem discrepavit. Ex capitibus utriusque iuris collatis, discrimina facile patebunt. Ius in bulla *Quaecumque* conditum et in formam breviorem reductum a S. C. Ind. in formula pro confraternitatibus erigendis et aggregandis incorporatum est, ut supra relatum est.

His inde praemissis singula capita utriusque disciplinae, communis scl. et Marianae manent inter se comparanda[17]. In ipsa declaratione erec-

---

16 Institutum S. I., I 452.

17 Pro diplomate erectionis vel aggregationis Congregationum Marianarum, cf. Mullan, o. c., pp. 268* ss. Formula refert privilegia Congregationi concessa cum paucis aliis capitibus iuris Mariani.

tionis statuitur lex distantiae secundum quam una confraternitas ab altera eiusdem nominis et instituti per unam leucam distare debuit.

Lex distantiae.

« Nos igitur ... Confraternitatem N. in Ecclesia N., loci N., Dioeceseos N., de consensu Ordinarii ... *dummodo talis alia similis in ipso vel alio ad tria miliaria propinquo loco hactenus erecta non fuerit ... erigimus et instituimus etc.* ».

Lex loci.

1. « Quod *unica tantum* Confraternitas eiusdem instituti et generis institui et aggregari possit in Ecclesiis tam saecularium quam regularium ».

Lex loci et distantiae originem duxit ex §§ 2 et 3 praefatae bullae Clementinae in qua tamen haec regula proponitur modo generali. De hac lege breviter loquitur P. Vermeersch:

« Agendum, loca satis distincta sunt plura eiusdem municipii oppida situ ac nomine separata propriamque habentes ecclesiam parochialem. Immo recens, 5 mart., 20 mai., 1896, SS. D. Leo Pp. XIII concessit per S. C. Ind., in magnis civitatibus valerent Ordinarii, pro suo arbitrio et prudentia, in singulis casibus in hac lege dispensare, servata tamen distantia quae ipsorum iudicio videretur congrua. Quaenam pro numero incolarum et amplitudine territorii in magnis reponendis sint urbibus, prudenter permittitur Ordinarii definitioni » [18].

Clara exceptio a lege Clementina de distantia inter confraternitates servanda pluribus documentis pontificiis concessa est Congregationi Marianae. Sequentia pro exemplis habentur.

---

18 De Religiosis Institutis et Personis, 1901-1902 Bruges, I, n. 546-2.

Ex bulla *Omnipotentis Dei* Gregorii XIII; 5 dec. 1584:

« Ut in *quibusvis aliis dictae Societatis Collegiis extra Urbem praedictam* per universum orbem tunc et pro tempore erectis, seu eorum Ecclesiis, pro eorumdem piorum operum incremento, *quascumque alias* seu *quaecumque alia* scholarium ibidem litterarum studiis insistentium, et aliorum Christifidelium ipso Societati devotorum, *Congregationes seu Sodalitia,* sub eo titulo Annuntiationis Beatae Mariae, quae ab ipsa Primaria Congregatione seu Primario Sodalitio, tamquam membra a capite, dependerent, auctoritate praedicta (sine tamen Societatis aut Collegiorum et Ecclesiarum huiusmodi praeiudicio) *erigere et instituere,* illasque ... aggregare etc. possit » [19].

Et rursus in bulla *Superna Dispositione,* 5 ian., 1587, Sixtus V praedictam facultatem ampliavit ita ut P. Generalis Soc. Iesu vel Vicarius eius Congregationem Marianam, unam vel plures in quibusvis ecclesiis, domibus vel collegiis Societatis Iesu erigere posset.

« Nos igitur ... eidem Claudio et pro tempore existenti dictae Societatis Praeposito vel Vicario Generali, ut in *quibusvis* eiusdem Societatis *Ecclesiis,* seu *Domibus* ac *Collegiis,* tam in dicta Urbe quam extra eam per universam orbem nunc et pro tempore erectis seu erigendis et instituendis, *quasvis alias,* sive scholarium tantum, sive aliorum Christifidelium tantum, sive utrorumque simul, tam sub eodem Beatae Mariae Annuntiatae quam alio quovis titulo et invocatione, *Congregationes* seu *Sodalitia, unum scilicet vel plura in singulis locis vel ecclesiis* pro personarum frequentia seu

---

[19] Institutum S. I., I, 103 ss.

qualitate, auctoritate nostra, sine alicuius praeiudicio, perpetuo *erigere et instituere ... indulgemus* » [20].

Exorto dubio de extensione privilegii Sixtini, num complecteretur etiam illas institutiones quae non erant propriae Societatis Iesu sed sub cura seu directione PP. Iesuitarum, responsum affirmativum allatum est in Bulla, *Romanum Decet*, Sixti V, 29 Sept. 1587 :

« Nos omnem dubitandi materiam circa praemissa quomodolibet insurgentem tollere cupientes, ac ... huiusmodi supplicationibus inclinati, eidem Claudio (Aquaviva) et pro tempore exsistenti dictae Societatis Praeposito, seu Vicario Generali, ut *quascumque* seu *quaecumque* Congregationes seu Sodalitia, unam seu unum, vel plures seu plura, dictarum personarum in singulis Collegiis, domibus, seu *Seminariis vel locis sub directione, gubernio, administratione vel institutione ipsius Societatis Iesu seu illius personarum exsistentibus, vel ab ea dependentibus,* sub quovis titulo seu invocatione, modo praemisso, ac sine eiusdem Societatis Iesu praeiudicio, etiam de novo erigere et instituere, illasque seu illa, postquam erectae vel erecta fuerint, et etiam alias iam erectas et institutas, eidem Primariae seu Primario, Congregationi vel Sodalitio aggregare ... tenore praesentium perpetuo concedimus ... » [21].

Consensus Ordinarii

2) « Quod id (i. e. erectio vel aggregatio) fiat de consensu Ordinarii et cum litteris testimonialibus eiusdem ». Haec regula correspondet § 2 bullae « Quaecumque ». Ut evidens est sola permissio verbalis non sufficit. Praeterea requiruntur litte-

---

20 Institutum S. I., I, 108 ss.

21 Institutum S. I., I, 112 ss.

rae testimoniales, « quibus Confraternitatis et Congregationis aggregandae et instituendae pietas et Christianae caritatis officia quae exercere cupit apud eos commendentur ». Ut indicatum est iam, vi variorum documentorum pontificiorum, v. g., Bullae Aureae Benedicti XIV, Congregatio Mariana nominatim liberata est a praescriptis Clementinis.

Ius proprium Congregationis Marianae hoc statuit de auctore erectionis et aggregationis.

« Facultas *erigendi* Congregationes Marianas in Domibus et Ecclesiis Societatis Iesu, *aggregandi* eas ad Primam Primariam Romanam et communicandi illis Indulgentias et privilegia ipsi a Romanis Pontificibus concessa, pertinet exclusive, iuxta Constitutiones Apostolicas, ad Admodum Reverendum Praepositum Generalem vel Vicarium Generalem eiusdem Societatis »[22].

Idem P. Generalis S. I. vel Vicarius eius habebat potestatem erigendi Congregationes Marianas etiam in ecclesiis et institutionibus quae non erant sub cura Societatis Iesu, si Ordinarius loci facultatem requisitam dederit.

« Ideo praedictus orator (R. P. Anderledy) Sanctitatem Tuam enixe rogat ut, ad complendas illas facultates sibi et successoribus suis potestatem quoque erigendi (exserendam semper, ut patet, cum respectivi Ordinarii consensu) quascumque Beatae Mariae Virginis Congregationes *etiam extra Societatis Domus seu Ecclesias* benigne concedere dignetur ...

---

[22] « Regulae Communes » 1910; Titulus I, reg. 2. Videatur e. g. Bulla Gregorii XIII *Omnipotentis Dei* apud Institutum S. I., I, 103 ss. vel MULLAN, o. c., nn. 531 ss.

Sanctissimus Dominus Noster, Leo Papa XIII ... benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces »[23].

Similiter Ordinario loci competebat potestas erigendi Congregationes in Ecclesiis vel Domibus quae subiectae non erant Societati Iesu, quae congregationes in omnibus subditae erant tali Ordinario, *salva aggregatione* ad Primam Primariam, quae P. Generali S. I. vel eius Vicario unice reservabatur.

« Quare praedictus orator (R. P. Anderledy) enixe et humiliter rogat ut Sanctitas Tua, si ita expedire ad maiorem earum Congregationum profectum videatur, benigne statuat Congregationes Beatae Mariae Virginis — etsi ab aliis sint erectae, nihilominus Indulgentias eis a Romanis Pontificibus concessas non posse consequi in posterum, nisi, ut iampridem usus ferebat, a Societatis Iesu Praeposito Generali obtento utique Ordinarii loci consensu, ad Primarias Congregationes Romanas fuerint aggregatae ».

« Sanctissimus D. N. Leo XIII ... benigne annuit iuxta preces »[24].

Communicatio Privilegiorum etc.

De communicatione Indulgentiarum et Privilegiorum per erectionem vel aggregationem Concessarum, ius commune praescripsit:

3) Quod Confraternitati instituta vel aggregatae expresse et in specie communicentur privilegia et indulgentiae Ordini (Archiconfraternitati) instituenti vel aggreganti nominatim concessa, non vero ea, quibus per privilegium communicationis gaudet:

---

23 Decretum Authenticum S. C. Ind., Institutum S. I., I, pp. 430 et sqq.

24 Fontes VII, n. 5107.

Haec regula a S. C. Ind. expressa desumitur ex § 4 bullae *Quaecumque* [25]. Opinio erronea olim ab aliquibus recepta erat secundum quam membra confraternitatis frui poterant non solum indulgentiis et privilegiis confratribus iure concessis verum etiam illis quae propria erant ipsis regularibus. Laicus inde, si nomen dederit cuidam confraternitati, particeps factus est gratiarum concessarum in favorem ipsorum regularium quibus moderanda erat confraternitas ipsa. Sententia haec refellitur a Theodoro a Spiritu Sancto in suo opere classico de Indulgentiis [26]. Omnis extensio et amplificatio indulgentiarum et privilegiorum nullius valoris erat [27].

De novo S. C. Ind. dictam regulam proposuit decreto 19 mart. 1671:

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita inhaerendo Apostolicis Constitutionibus nimirum felicis recordationis Clementis VIII cuius initium *Quaecumque* etc., et Pauli V, quae incipit *Salubriter* etc., declarat nulli Ordini, Congregationi, Societati etiam Iesu, Capitulo, Archiconfraternitati, Confraternitati vel Coetui cuicumque, neque eorum Superioribus, Officialibus, seu Ministris, Aliisque personis quibuscumque etiam specifica et individua mentione et expressione dignis licuisse, nec in posterum quandocumque liciturum, ullas indulgentias aliis communicare, nisi eas, quae a memorato Paulo vel eius Successoribus Romanis Pontificibus praescriptae concessae, specialiter postea renovatae, sive in specie confirmatae fuerint, etiamsi facultas illas communicandi eis a S. Sede Apostolica cum quibusvis clau-

---

25 Fontes 1: 192 § 4.

26 Tractatus de Indulgentiis, Romae, 1743, pars 2ª, p. 131.

27 Pro exemplo habeatur extensio privilegii altari particulari concessi. Decreta Authentica S. C. Ind. n. 135.

sulis et decretis ante emanatam Pauli Praefatam Constitutionem concessa fuisset ... Declarat insuper Regulares quoscumque cuiusvis Ordinis, Congregationis, Societatis etiam Iesu, ac Instituti etiam specifica et individua mentione digni ... non potuisse, nec posse Confraternitatibus, Sodalitatibus etc., ullo modo communicare indulgentias ipsis Regularibus concessas [28].

Ceterum, nonobstante mentione facta Societatis Iesu in decreto citato, ad Congregationem Marianam quod attinet, nullibi in historia eiusdem Congregationis refertur abusus in communicandis privilegiis vel indulgentiis exstitisse.

Statuta Examinanda et approbanda

4) « Quod statuta confraternitatum examinentur et approbantur ab Ordinario loci et ab eodem corrigi possint ».

Locus parallelus invenitur in § 5 Bullae *Quaecumque*. Cum Episcopus in sua dioecesi competens sit in eligendis mediis aptis ad finem diversarum piarum associationum adipiscendum, iure gaudet examinandi, approbandi, modificandi vel corrigendi statuta talia ipsi proposita [29]. Praeterea, quamvis non sit absolute necessarium, multum iuvat ut quaevis confraternitas vel congregatio propria statuta habeat. Congregatio Mariana suum ius peculiare de statutis proponit. Statuta generalia Congregationis Marianae ab omnibus congregationibus in domibus S. I. tenenda sunt. Ipse Praepositus Generalis Societatis Iesu

---

28 Decreta Authentica S. C. Ind. nn. 6 et 171 ad 1.

29 Decreta Authentica S. C. Ind., no. 308 ad 2.

vel Vicarius eius vel delegatus ab alterutro statuta congregationis in domibus Soc. Iesu erigendae condere potest.

Regula 15ª sic sonat:

« Congregationum Marianum erectarum in quibuscumque Domibus vel Ecclesiis Societatis Iesu gubernatio suprema pertinet ad Admodum Reverendum Praepositum Generalem vel Vicarium Generalem eiusdem Societatis, iuxta Constitutionem Omnipotentis Dei Gregorii XIII, confirmatam et ampliatam aliis deinde Constitutionibus Apostolicis. Huius auctoritatis vi, Admodum Reverendus Pater Generalis potest facere et edere statuta, constitutiones et decreta pro Congregationum directione, examinare et approbare illa quae alii, ipso iubente, fecerint, et moderari, corrigere vel de novo facere illa, quandocumque iudicaverit expedire » [30].

Fons huius potestatis habetur in Bulla Gregorii XIII, « Omnipotentis Dei » ut dictum est in regula citata:

« Nec non tam primariam seu primarium, quam omnes et singulas ei aggreganda Sodalitia huiusmodi, per se vel alium seu alios eiusdem Societatis Presbyteros idoneos ad id ab eo deputandos, visitare, et pro earum felici statu, regimine et directione *quaecumque statuta, constitutiones et decreta,* licita tamen et honesta sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis non contraria, necnon ab ipso Praeposito seu Vicario, si per alium vel alios deputandos huiusmodi fiant, *examinanda et approbanda edere;* et postquam edita fuerint, quoties pro eorum qualitate aut alias expediens ei videbitur, *immutare, corrigere, moderari et reformare,* aut alia ex integro condere libere et licite valeat, eisdem auctoritate apostolica et tenore perpetuo concedimus et indul-

---

[30] Regulae Communes, Titulus 4us, Regula 15ª.

gemus: Decernentes statuta, constitutiones et decreta huiusmodi, postquam edita, immutata, correcta, moderata, reformata et condita fuerint ab omnibus sodalibus praedictis inviolabiliter observare debere »[31].

Iam praescriptum confirmatum est Benedicto XIV in Brevi « Laudabile Romanorum Pontificum » 15 feb. 1758:

« ... ad ipsummet Praepositum Generalem seu ab illo deputatum, pro spirituali dictarum Congregationum seu Confraternitatum bono, legitime pertinet regulas *statuta et decreta condere, facere et statuere*, quae iuxta datam a Domino prudentiam opportuniora existimatur; *quae quidem regulae, statuta et decreta ab Ipso Praeposito Generali*, vel a Directoribus ab eodem deputatis, *variari et immutari aliaque de novo statui et praescribi possunt*, illaque sic variata et immutata et de novo praescripta ipsi Congregati seu Confratres inviolabiliter observare tenetur, prout latius continetur, non solum in constitutione felicis recordationis Gregorio Papa XIII, praedecessore Nostro, anno MDLXXXIV edita, quae incipit « Omnipotentis Dei », et subinde a recolendae memoriae Sixto Papa V, praedecessore pariter Nostro, per aliam suam Constitutionem anni MDLXXXVI incipientem « Superna Dispositione », confirmata, verum etiam in alia a Nobis MDCCXLIII pariter edita Constitutione, cuius initium est Praeclaris; in qua praesertim reperiuntur haec verba, « In omnibus quae ad Congregationum statum et regimen pertinebunt Generalis Praepositi et peculiarium Moderatorum ab ipso deputatorum mandatis consiliisque alacri ac prompta voluntate obtemperare numquam recusent »[32].

Statuta Generalia respiciunt normas fundamentales et universales ab omnibus associationi-

---

31 Institutum S. I., I, 103 ss.
32 Institutum S. I., I, 305 ss.

bus particularibus observandas. Interdum appellantur constitutiones, aliquando simpliciter vocantur regulae. Dum e contra, regulae sensu strictiori sumptae sunt praescripta magis particularia, localia, adaptata peculiaribus adiunctis temporum et locorum. In Congregationibus Marianis tales regulae particulares, modo non sint contrariae Regulis Communibus a Directoribus statui immutarique possunt.

Haec potestas Directorum in Reg. 16 Regularum Communium exprimitur:

« Iuxta Constitutionem Benedicti XIV LAUDABILE ROMANORUM PONTIFICUM, Directores particulares, a Praeposito Generali in Domibus vel Ecclesiis Societatis constituti, plena facultate gaudent in omnibus quae pertinent ad regimen, gubernium et administrationem tam spiritualem quam temporalem, suarum Sodalitatum, ita ut possint — modo praesentia statuta generalia non tangent — *illas regulas, statuta et decreta particularia statuere* quae in prudentia sua crediderint opportuna, sicut etiam quae statuerint *variare et penitus mutare*, quin sit necessarium in ullo casu sententiam vel consensum Sodalium obtinere vel petere ».

Congregationes Marianae extra loca Soc. Iesu erectae ligabantur lege communi, i. e., subicienda erant iudicio Ordinarii loci statuta etc. Congregationes externae tamen videntur retinuisse Regulas Communes, quamvis liberae fuerint ad conficienda sua propria statuta.

« Mancano a chi scrive i documenti necessari per dire fino a che punto le Congregazioni esterne hanno usato del diritto di fare ciascuna le sue regole particolari, e fino a qual punto gli Ordinari le hanno appro-

vate. Da quanto si può giudicare dai Manuali pubblicati dal 1885 al 1910, e dal modo di parlare usato nei varii Congressi delle Congregazioni, non si è pensato molto a nuove Regole, ma si è stati contenti di quelle del Padre Beckx, cossichè si può dire che fino al 1910 le Congrezioni Mariane, sia dei Gesuiti, sia esterne, non hanno avuto altre Regole se non quelle ora menzionate, le quali furono scritte verso il 1750 ed approvate nel 1855 »[33].

Cognitio Indulgentiarum

5) « Quod gratiae et Indulgentiae Confraternitati communicatae praevia cognitione Ordinarii dumtaxat promulgentur ».

Paragr. 7ª bullae « Quaecumque » statuit ut Archiconfraternitates etc. Indulgentias, facultates aliasque spirituales gratias promulgent:

« ... praevia tamen recognitione Ordinarii loci, qui, adhibitis duobus de eiusdem Ecclesiae Capitulo, illa iuxta Sacri Concilii Tridentini decretum promulganda decernat ... ».

Hoc praescriptum Clementinum mitigatum est in reg. 5ª S. C. Ind. relata. *Cognitio* enim minus exigit quam *recognitio;* haec enim examen seu inspectionem postulat; illa vix quam simplicem notitiam dicit. Ordinarie S. C. Ind. summarium indulgentiarum examinare debuit illudque, si visum esset, approbare. Insuper oportebat ut summarium sic approbatum etiam Ordinario esset notum.

Attento decreto S. C. Ind., 15 nov. 1905, regulares qui in propriis ecclesiis erigebant confra-

---

33 MULLAN, o. c., p. 54 n. 101.

ternitates late seu improprie dictas, quae erectio reservata est ipsi ordini religioso, ad petendam ab Ordinario loci licentiam publicandi elenchum indulgentiarum non tenebantur [34].

Praeterea haec nota decreti pluries citati S. C. Ind. 19 Oct. 1866, ulterius explicat obligationem recognitionis a parte Ordinarii loci:

« Ad tollendam tamen omnem dubitationem, dum per Ordinarium loci dicitur recognosci debere elenchum, intelligitur ut, si semel ab Ordinario loci ubi auctoritas praecipua Ordinis, Instituti, Religionis etc., moratur recognitus fuit elenchus, non indigeat nova recognitione, et tradi posset Societati erigendae, etc., etiam alibi, cum necessarium sit ut semper idem sit elenchus, salvis additionibus quae ex novis concessionibus, pariter recognoscendus, fieri contingat » [35].

Magis perspicue ponitur hoc responsum S. C. Ind. 20 Maii 1896:

« 2) An summarium Indulgentiarum quod una cum Diplomate datur in erectione et aggregatione Confraternitatum iam recognitum et approbatum a Sacra Congregatione Indulgentiarum, nova etiam indigeat re cognitione Ordinarii loci ...

Ad 2: Negative » [36].

Quod spectat ad Congregationem Marianam, licet asserere vi exemptionis a iure communi pluries repetitae hanc esse liberam ab obligatione de

---

[34] Cf. Ferreres, *Le Confraternite e Congregazioni Ecclesiastiche secondo la disciplina vigente.* Traduzione del P. Angelo Iaverna S. I., Venezia 1909, n. 395.

[35] Decreta Authentica S. C. Ind. Appendix, XII, pp. 465 et sqq.

[36] ASS., Vol. XXVIII, p. 751.

elencho indulgentiarum ab Ordinario cognoscendo proindeque decretum et responsum iam exhibita Congregationem minime tetigisse. Ceterum catalogus indulgentiarum et privilegiorum Congregationi concessorum recognitus et approbatus fuit a S. C. Ind., die 23a iun. 1885 et novus catalogus a S. C. Sancti Officii die 21 iul. 1910 est approbatus [37].

Eleemosynae

6) « Confraternitas eleemosynas excipiat et eroget secundum formam per Ordinarium praescribendam ». Utile est citare hic correspondens praescriptum Clementinum:

« Quibus etiam Ministris, Officialibus et aliis praedictis eleemosynas et alia oblata Christianae caritatis subsidia, iuxta modum et formam per Ordinarium loci praescribendam, ... remotis tamen mensis, pelvibus et capsis quae in Ecclesiis et Oratoriis dictarum Confraternitatum et Congregationum publice ad hoc exponi consueverunt ... excipiendi potestas detur ... Eleemosynas sic collectas in reparationem et ornatum Ecclesiarum ... aut in alios pios usus, arbitrario ... Ordinariorum locorum respective, fideliter exponere atque erogare procurent etc. » [38].

Vix indiget haec regula 6a speciali explicatione, cum tota materia relinquatur arbitrio Ordinario loci. Mitigatur aliquantulum legislatio bullae « *Quaecumque* », cum nulla mentio facta sit mensarum, capsarum etc. Congregationibus Marianis

---

37 Haec duo summaria inveniuntur apud MULLAN, o. c., pp. 196* et spp., 263* et sqq.

38 Fontes 1: 192, § 8.

in locis Soc. Iesu subiectis eleemosynas erogare non licet, secundum sollemne principium, quod Congregationes huiusmodi nihil possidere possunt. Applicatio huius principii est prohibitio omnis erogationis eleemosynarum. Praeterea, PP. Generales S. I. instanter urgebant observationem huius prohibitionis. Afferuntur pauca exempla:

« Accederet inter alia multa illud etiam incommodi, quod, si Sodalitates nostrae reditus certos haberent, essent omnino, sicut aliae externorum Confraternitates, visitationibus Ordinariorum obnoxiae, *quo uno maxime praesidio* a Constitutione Clementis VIII ne comprehenderemur immunes fuimus »[39].

Apud varia responsa PP. Generalium S. I. excerpta sequentia nobis ostendunt eos magni fecisse hanc praxim singularem.

« Congregationes in Collegiis nostris institutae non possunt ullo modo habere reditus » ... German. 28 Feb., 1628.

« ... nec ulla bona stabilia, ne visitationibus Ordinariorum sint obnoxiae ». Tolos., 8 Feb., 1622.

« Nec potest Congregatio admittere administrationem redituum qui relicti sunt per manus Sodalium distribuendi pauperibus » ... Provinc. Tolos., 5 Aug. 1622.

« Congregationes sub cura Societatis non possunt fundare montem Misericordiae (scil. capsam ad recipiendas eleemosynas pro pauperibus) a se dependentem ». Prov. Neap., 12 Nov. 1594.

« Nusquam permittendum ut in Oratorio suspendatur arcula ad eleemosynas a Sodalibus sponte oblatas colligendas ». - Prov. Paris, 3 Iul. 1614; etc.[40].

---

39 Litterae P. Aquaviva, Institutum S. I., III, 313 et sqq.
40 Mullan, pp. 71* et sqq.

Sequens tamen modus interdum instituebatur quo, v. g., summa pecuniae retinebatur ad opera caritativa vel misericordiae exercenda, i. e., mediante associatione quae *non pertinebat* ad Domum Soc. Iesu, et subiectum Ordinario loci, quae capax esset bona administrandi.

« ... ut Institutum nostrum illaesum conservemus, et ratio Congregationum non immutetur, ita pium hoc opus retinere sine praeiudicio posse, quod et alibi factum est et succedit ex animi sententia, ut nimirum sub alio titulo cuiuspiam Sancti, prout visum erit Nobis, erigatur Congregatio seu Fraternitas, cum approbatione Ordinarii et illi subiecta, quae legata pia et stabiles reditus habere poterit. Sed opus erit ut electio Officialium et conventus ipsorum fiant in alio Templo vel loco, non in nostro; et quia optatur ut nostri iuvent et dirigant hoc opus, decretum fieri solet ut nullus possit ad hanc Congregationem seu Fraternitatem dicti Sancti admitti qui non sit ex congregatione Spiritus Sancti. Nam ita fiet ut dirigantur a nostris, et nihilominus reditus pertinant ad alteram Fraternitatem. Quod non repugnat, cum et hic Romae et alibi, et credimus istic etiam multos esse adscriptos in duabus et pluribus Congregationibus » [41].

Non est tamen alienum a spiritu Congregationis petere summam parvam ab ipsis sodalibus ad expensas Sodalitatis solvendas.

« Contribuat uniusquisque ad expensas Sodalitatis aut eleemosynam spontaneam quam sua cuique fortuna permittet, aut summam fixam, parvum tamen, quae consuetudine determinata fuerit » [42].

« Depositarius colligit eleemosynas vel contributio-

---

41 MULLAN, o. c., p. 53*.

42 Regulae Communes Cong. Marianae 1910, Titulus 6us, Reg. 46.

nes fixas Sodalium et benefactorum, ordinarie in sua custodia tenet pecuniam Sodalitatis, et praevio iussu Directoris vel Praefecti solvit Sodalitatis expensas etc. »[43].

Prohibitio Taxas Imponendi

Praeter expensas absolute necessarias, puta pro rebus materialibus, omnino vetitum est taxas imponere Confratribus occasione erectionis vel aggregationis Confraternitatis, quae prohibitio lata est in regula 7a decreti S. C. Ind.

« 7) Quod litterae erectionis et aggregationis gratis omnino ac nulla prorsus mercede, etiam a sponte dantibus sub praetextu quoque merae eleemosynae accepta, expediri et concedi possint, et solummodo titulo expensarum pro pergamena, scriptura, vel impressionis stipendio, sigillorum expensis, chordulis, cera, Secretarii Notariique labore vel mercede aliisque omnibus, eam quantitatem quae non excedat summam scutatorum sex monetae Romanae in Italia, et extra Italiam non excedat summam libellarum, vulgo francs trigenta, pro singula institutione recipere liceat ».

Et § 11 bullae *Quaecumque*:

« Erectionum autem, institutionum, communicationum et aggregationum, tam hactenus factarum quam deinceps faciendarum litterae, ab ipsis fraternitatibus et Congregationibus gratis omnino et nulla prorsus mercede, etiam a sponte dantibus accepta, expediri et concedi debeat ».

Praeter haec decreta alia similia in Decretis Authenticis S. C. Ind. inveniri possunt, in quibus rigor legislationis bullae « *Quaecumque* » non mi-

---

43 Ibidem, Titulus 7us, Reg. 58.

tigatus est, ne « Confraternitates aggregandae sumptibus nimium graventur et ut omnes intelligerent, coelestes ecclesiae thesauros non quaestus, aut alicuius lucri causa sed ad pietatem potissimum fidelium excitandam ex Apostolicae Sedis benignitate aperiri »[44].

Ius Congregationis Marianae exigit nullam taxam ad expensas erectionis vel aggregationis solvendas. Dicit P. Claudius Aquaviva:

« ... Quod aedificationi magnopere conducit ne expensae quae in exscribendis litteris patentibus pro aggregationibus Sodalitatum Beatae Virginis et pro communicatione bonorum operum Societatis fieri consueverunt ab aliis quam ab ipsis Provinciis suscipiantur. Quibus sumptibus faciendis peculiari aliqua ratione, ne Collegia aut Domus graventur, Provincialis erit prospicere »[45].

« Sumptus pro aggregatione ad Romanam facere debet non Congregatio sed Collegium in quo illa est »[46].

Poena contra delinquentes in hac materia

Loco ultimo, in regula 8a ponitur duplex sanctio contra Superiores vel Officiales violantes praescripta S. C. Ind., hucusque visa:

8) « Quod singula hic mandata et expressa in omnibus suis partibus fideliter observentur, secus institutiones vel aggregatione et communicationes privilegiorum et Indulgentiarum *nullius sint roboris et momenti*, et quilibet

---

44 Decreta Authentica S. C. Ind., nn. 76, 80, 209. Videatur etiam *Quaecumque* § 8.

45 Litt. P. Aquaviva « De Modo Qui servari debet cum Sodalitates Beatae Virginis ad Primariam Romanam aggregari petunt ». Institutum S. I., I, 313 et sqq.

46 MULLAN, o. c., p. 65, n. 854.

Superiorum atque Officialium *privationis officiorum* quae obtinent atque *inhabilitatis* ad illa et alia in posterum obtinenda poenam ab eo ipso incurrant; quae *ab alio quam a Romano Pontifice* remitti non possit ».

In forma ampliori scripta est § 12 bullae *Quaecumque* :

« Quod si ministri aliqui, Superiores vel Officiales, quocumque nomine muncupati, Ordinum ... et Confraternitatum huiusmodi quavis auctoritate vel privilegio et officio fungantur et praefulgeant, contra praemissa in aliquo venire vel facere praesumpserint, erectiones institutiones et communicationes privilegiorum, Indulgentiarum, facultatum spiritualiumque gratiarum et Indultorum aliorumque praemissorum concessiones, necnon aggregationes per ipsos faciendae seu renovandae *nullius sint roboris et momenti*, et quilibet eorumdem Ministrorum, Superiorum, Officialium et aliorum praedictorum *privationis officiorum* quae obtinet, ac *inhabilitatis* ad illa et alia in posterum obtinenda poenam, quae ab alio quam a Nobis vel Romano Pontifice pro tempore existente remitti non possit, *incurrat eo ipso* ».

Praeter nullitatem erectionis illicite factae, ipse Superior erigens vel aggregans plectitur poena sat severa, quae manifestat quanta cura exigebatur a Sancta Sede in huiusmodi associationibus Christifidelium instituendis. Ex tenore huius sanctionis, delinquentes in hac materia privarentur omni officio : « Officiorum quae obtinet, ac inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda ». Attamen, P. Theodorus a Spiritu Sancto observat quod ista officia sunt ea quae respiciunt erectionem vel aggregationem, et non alia, quae minime afficerent Confraternitatis institutionem.

« Quia iuxta praxim, quando poena privationis quorumcumque officiorum etiam disparate se habentium infligitur, istae dictiones apponuntur: privationis officiorum, dignitatum, graduum et honorum; — eo maxime, quod odiosa restringenda sunt potiusquam amplianda » [47].

Cum Congregatio Mariana minime tenetur praefatis praescriptis bullae Clementinae et S. C. Ind., sanctiones memoratae in erectione aut aggregatione Cong. Marianae locum vix habere potuerunt. Praeterea, ut inferius dicendum est, P. Generalis S. I. amplissimam potestatem habet in omnibus quae respiciunt institutionem Congregationis Marianae, ac proinde fere numquam casus accidere posset ubi erectio vel aggregatio invalida fieret. Quod maxime valet, quando sermo est de institutione Congr. Marian. in domibus ad Societatem Iesu pertinentibus.

Ex his igitur praescriptis visis, patet scopus potestatis Ordinarii loci, salvis privilegiis, in Confraternitatibus et Sodalitiis condendis. Et ratio in promptu est. Nam quae instituta sunt ad Deum magis colendum vel ad opera pietatis ac misericordiae exercenda, iure subiecta Episcopo esse debent.

Ius Visitationis

Iuxta § 8 bullae *Quaecumque*, eleemosynae in usus pios collectae arbitrio Ordinarii loci exponendae et erogandae erant. Quod fieri poterat sive occasione visitationis episcopalis sive alias. Clarius autem Tridentinum de hoc disposuit.

---

47 *Tractatus de Indulgentiis,* Pars 2a, pag. 156.

« Episcopi ... habent ius visitandi hospitalia, collegia quaecumque ac confraternitates laicorum, etiam quas scholas sive quocumque alio nomine vocant etc. » [48].

« Administratores tam ecclesiastici quam laici fabricae cuiusvis ecclesiae, etiam cathedralis, hospitalis, confraternitatis, eleemosynae, montis pietatis et quorumcumque piorum locorum, singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario » [49].

Hoc ius Ordinarii loci confirmatur etiam aliis decretis Sanctae Sedis, v. g., S. Cong. Episcoporum et Regularium. Aliphana, 31 iul. 1637 [50] et S. C. Cong. Conc. Nucerina Paganorum 23 iun. 1629 [51]. Visitatio episcopalis huiusmodi respiciebat etiam Confraternitates laicorum in ecclesiis Regularium non in iis quae ad regimen internum referebantur, sed in his quae attingebant administrationem externam, ut ait Benedictus XIV:

« Sacra Congregatio inhaerendo declarationibus iam factis, censuit, Confraternitates laicorum in Ecclesiis regularium exemptorum institutis, subesse iurisdictioni et visitationi Episcopi, illasque ab eo visitari posse, necnon illorum Capellas in iisdem Ecclesiis Regularium existentes, in his tamen quae Confraternitatum administrationem respiciunt. Et si confraternitatibus incumbit onus manutenendi altare, et illius cultum, Episcopum posse visitare circa ea, quae respiciunt ipsam manutentionem cultus, et ornamenta altaris, seu Capellae, onera Missarum, atque divinorum officiorum ibidem celebrandorum, et circa ea omnia, quae ad obligationem eorumdem Confratrum relationem habent » [52].

---

[48] Sess. 22ª, cap. 8; Acta Concilii Tridentini, Vol. VIII, p. 967.

[49] Sess. 22ª, cap. 9; Acta Concilii Tridentini, Vol. VIII, p. 967.

[50] Collectanea S. Cong. Episc. et Reg., p. 277-278.

[51] Fontes, V, n. 2511.

[52] Opera Omnia Benedicti XIV, vol. X Institutiones Ecclesiast. Inst. 105 n. 87, p. 471.

Tale est ius Congregationis Marianae ut Congregationes in Ecclesiis etc. Soc. Iesu erectae bona possidere nequeant, sive sint mobilia sive sint immobilia. Res omnes quibus tales Congregationes uterentur propriae esse debent Ecclesiarum dictarum. Praeterea, ut paullo antea dicebatur, omnes eleemosynae et reditus certi vel stabiles prohibentur. Exclusa igitur *possessione* et *administratione* talium bonorum, liquet in his adiunctis non esse locum visitationi Episcopali. In bulla « Laudabile Romanorum Pontificum » Benedictus XIV hoc principium enuntiavit; immo ad particularia quaedam descendit.

« Praeterea motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, perpetuo statuimus, decernimus et mandamus, ut Congregationes praefatae iam erectae, et quandocumque deinceps erigendae in Collegiis et domibus regularibus eiusdem Societatis, ita dictis Collegiis et domibus, in quibus erectae exsistunt, unitae et incorporatae sint et esse debeant et intelligantur, ut earundem Congregationum congregati seu confratres nullum ius, nullumque dominium, nullamque actionem supra aedes, vasa mobilia, ornamenta et supellectilia quaecumque tam sacra quam profana, ad easdem Congregationes nunc et pro tempore quandocumque spectantia et pertinentia, ac pro illorum usu et ornatu empta et emenda habeant, nec habere possint, minusque claves armariorum, in quibus mobilia ac supellectilia, aliaque praemissa asservantur et custodiuntur, nullo modo, nullave ratione et causa, penes se habere et retinere ac praetendere queant, sed dumtaxat eas claves retinere valeant, quae a Directoribus earumdem Congregationum, a Praeposito generali ipsius Societatis pro tempore deputatis et deputandis, sponte et ad tempus ipsis Directoribus benevisum tradantur et consignentur ... » [53].

---

[53] MULLAN, o. c., p. 107*.

Praeterea in Instructione relata circa modum instituendi Congregationem, hoc monitum habet P. Aquaviva:

« Si Sodalitates nostrae *reditus certos haberent*, essent omnino, sicut et aliae externorum Confraternitates, *visitationibus Ordinariorum obnoxiae*, quo uno maxime praesidio a constitutione Clementis VIII ne comprehenderemur immunes fuimus » [54].

Pluries PP. Generales Soc. Iesu varia monita ediderunt in quibus iteraverunt prohibitiones possidendi bona aut recipiendi reditus [55].

Recapitulatio iuris Congregationis Marianae.

1) Legi distantiae et loci Congregatio Mariana obnoxia non erat.

2) Ipse P. Generalis Societatis Iesu erigit Congregationes in ecclesiis, collegiis etc., sub cura eiusdem Societatis. Pro aliis vero licentia Ordinarii loci petenda est, salvo semper iure P. Generalis S. I. aggregandi quamlibet congregationem Primae Primariae.

3) Lex de communicatione privilegiorum et indulgentiarum servanda erat etiam a Congregatione Mariana, quia *independenter* a disciplina Clementina, communicatio relata excederet limites concessionis Apostolicae in hac materia.

4) R. P. Generalis S. I. plena potestate pollet condendi, examinandi vel approbandi statuta

[54] Institutum S. I., III, 313 ss.

[55] Mullan, o. c., p. 71* et spp.

Congregationum Marianarum internarum, scl. earum quae sub cura sunt Societatis Iesu.

5) Gratiae et Indulgentiae Congregationi concessae non indigebant cognitione Ordinarii loci.

6) Congregatio iure eleemosynas colligendi caret ex instituto; hinc stat extra scopum disciplinae de eleemosynis regulandis.

7) Ab initio litterae erectionis et aggregationis Congregationum gratuito concessae sunt.

8) Deficiente materia circa quam visitatio episcopalis fieri posset, scl. reditibus seu bonis cuiusvis generis, tali visitationi locus non esset.

Demum, ut palam est, si Congregatio Mariana non erat subiecta iuri veteri, neque haberi poterat sanctionibus huic iuri additis obnoxia.

(*continuatur*)

IACOBUS RISK, S. I.

CASUS DE ASSOCIATIONE CIVILI CUM FINE PIO

In quadam natione quidem eminentes laici catholici cum quibusdam sacerdotibus utriusque cleri convenerant de associatione ineunda ad adiuvandas eas missiones exteras, in quibus missionarii connationales propagandae fidei operam dabant. Associationi formam iuridicam dederunt societatis civili approbatione munitae, quo titulo haec gaudebat personalitate iuridica iuxta leges civiles nationis. Postquam pluribus decennis feliciter vixerat societas, statuta antiqua adaptare cupiens mutatis conditionibus hodiernis, nova statuta, civili approbatione obtenta, assumpsit. Dum autem statuta antiqua non continebant ullam approbationem ecclesiasticam, novis e contra subscripta est declaratio episcopi dioeceseos, in qua societas sedem collocavit, huius tenoris: « Vidimus et approbamus. NN Episcopus civitatis NN nomine Excellentissimi et Reverendissimi Episcopatus ».

Haec declaratio nunc ansam dedit quibusdam quaestionibus. Cum enim quidam dubitari inceperint utrum associatio etiam nunc satisfaciat exigentiis moderni temporis imo non desint qui dicant eam esse potius supprimendam aliisque auxiliis missionibus procurandis substituendam, iudicium de opportunitate suppressionis necnon de destinatione bonorum societatis Ordinario loci vel

etiam Episcopatui reservatum volentes, arguunt societatem esse piam, immo canonice approbatam et ecclesiasticam, iurisdictioni Ecclesiae undequaque subditam.

De iure suppressionis et destinationis bonorum infra dicemus, postquam egerimus de indole ecclesiastica societatis.

* * *

I. Etsi primo aspectu alicui videri possit declarationem proprii episcopi societatis certo certius continere canonicam approbationem, re attentius considerata seria dubia oriuntur.

Et quidem primo: ipsa declaratio re vera non est episcopi proprii, at totius episcopatus, cum episcopus dioeceseos ubi associatio sedem habet non nomine proprio, sed nomine episcopatus egerit. Soli autem auctoritati cui Ecclesia tribuit potestatem erigendi vel approbandi associationes ecclesiasticas est, praeter Romanum Pontificem et salvis quibusdam exceptionibus, loci Ordinarius. Canon 686, postquam in prima paragrapho dixerat non cuiuscumque, sed legitimae esse auctoritatis erigere vel approbare associationes, in paragrapho altera hanc legitimam auctoritatem clare determinat.

Ne quis dicat distinctionem hanc episcopum loci inter et episcopatum meram subtilitatem esse iuristarum, cum approbatio totius episcopatus in se contineat immo eminenter approbationem episcopi loci. Haec obiectio, si valeret, duceret consequenter ad conclusionem inevitabilem, auctori-

tati nimirum episcopatus totius nationis omnia iura esse attribuenda quae singulis episcopis locorum conveniunt, quae conclusio haud parum immutaret, ne dicam disturbaret, ordinem hucusque vigentem disciplinae Ecclesiae. Iam sola quaestio utrum in casu associationis ab integro episcopatu approbatae etiam reliqua iura quae canones adscribunt Ordinario loci, iam episcopatui cedere deberent, clare manifestat necessitatem servandi ordinem canonicum et non creandi alium.

Utique mens mea non est episcopis plurium locorum insimul et coniunctim agentibus negare facultatem magna morali sua auctoritate apud fideles uti ad commendandas associationes beneficas. Codex, in canone 684 mentionem faciens associationum ab Ecclesia commendatarum, non determinat cuinam ecclesiasticae auctoritati talis commendatio competat, ac verae subtilitatis iuristarum merito accusaretur qui dixerit canonem 684 non velle laudare fideles, qui sua dent nomina associationibus ab integro episcopatu commendatis. Canonica autem approbatio, qua societas fit ecclesiastica, a solo Ordinario loci procedat necesse est.

Alterum serium dubium de approbatione canonica ex ipsis statutis nostrae societatis surgit, si ea confers canonibus 685 et sequentibus qui agunt de associationibus ecclesiasticis.

Auctoritas ecclesiastica nequit non exigere ut status iuridicus associationum ab ea approbandarum conformis sit exigentiis in canonibus allatis. Praeterea, iuxta principium pluribus in canonibus expressum atque ex ipsa natura rei sem-

per adhibendum, procurandum est, quantum saltem fieri possit, ut status iuridicus in iure civili agnitus correspondeat conditionibus iuris canonici.

Iamvero, statuta associationis de qua sermo est, quaeque in foro civili agnita sunt, si non singula, tamen perplura vel expresse a canonibus discrepant vel de iuribus canonicis silent, ita ut haec iura saltem in foro civili urgeri nequeant. Ut quaedam habeas exempla:

iuxta canonem 689 § 2 statuta semper subiecta manent moderationi et correctioni Ordinarii loci; statuta societatis ius moderationis et correctionis tribuunt directioni supremae exclusive, etsi hoc pacto quod mutationes a directione acceptae valorem non obtineant antequam accesserit approbatio data ab episcopatu vel eius nomine;

iuxta canonem 690 § 1 omnes associationes iurisdictioni subsunt et vigilantiae Ordinarii loci, qui ad normas canonum eas invisendi ius habet et munus; statuta associationis de hoc iure silent;

iuxta canonem 691 § 1 associatio bona temporalia possidet et administrat sub auctoritate Ordinarii loci, cui rationem administrationis saltem quotannis reddere debet, ad normam canonis 1525, et § 5 exigit ut oblationum quoque ac eleemosynarum fidelis erogationis rationem associatio reddat Ordinario loci; statuta e contra associationis procuratori et secretario administrationem bonorum committunt, cuius ratio redditur directioni supremae, quin mentio fiat iuris episcopi;

iuxta canonem 698 §§ 1 et 3 nominatio et revocatio moderatoris spectat ad loci Ordinarium;

iuxta statuta associationis omnia membra directionis, inter quae secretarius qui sit sacerdos, ab ipso gremio eliguntur; nominatio secretarii — sacerdotis indiget quidem confirmatione episcopatus;

iuxta canonem 699 § 1 ob graves causas potest loci Ordinarius supprimere associationes; statuta non nisi directioni supremae ius suppressionis tribuunt.

Iam satis. Exempla, e multis aliis selecta, abunde probant auctores horum statutorum, etsi in quibusdam, nominatione nimirum secretarii — sacerdotis et immutatione statutorum, non absque consensu auctoritatis ecclesiasticae id est episcopatus associationem acturam voluerint, ne cogitasse quidem de eius statu iuridico canonibus codicis iuris canonici adaptando. Vix probabile est ac ne vix quidem episcopos intendisse ecclesiasticam declarare associationem cuius statuta primo non conveniunt societati ecclesiasticae et secundo impediunt executionem iurium canonicorum in foro civili; id vel magis cum ius civile illius nationis plenam libertatem relinquit statuta redigere prout auctoribus placuerit.

Hucusque dicta satis innuere videntur approbationem illam nomine episcopatus concessam minime fuisse approbationem canonicam qua societas iuris ecclesiastici facta fuisset. Ratio eius non in canonibus quaerenda est at in ipsis statutis antiquis, quae et ipsa iam consensum episcopatus requirebant ut immutationes statutorum, a directione decisae, valorem obtinerent. Declaratio novis statutis nomine episcopatus subscripta inde ne-

cessaria erat ut haec, saltem in quantum ab antiquis discrepabant, valerent in ipso foro civili.

* * *

II. Associatio nostra finem sine dubio pium prosequitur, adiuvandi nimirum missiones exteras catholicas. Nonne huiusmodi finis pius necessario secumfert societatem ipsam subesse illi auctoritati cui exclusive competit regimen omnium causarum quae religionem cultum caritatem christianam respiciunt?

Recte non responderet quis dicendo societatem nostram, cum ecclesiastica non sit sed mere civilis, omnino subduci auctoritati et iuri ecclesiastico, quia secundum canonem 686 § 1 in Ecclesia non recognoscitur. Verum est canonem illum, edicentem nullam in Ecclesia recognosci associationem quae a legitima auctoritate ecclesiastica erecta vel saltem approbata non fuerit, aeque valere de associatione cum vel sine fine pio; etiam pia societas, carens erectione vel approbatione canonica, in Ecclesia non recognoscitur. Unde merito deducis saltem canones respicientes associationes in Ecclesia recognitas nostrae societati applicari non posse, at immerito nullum iam canonem nullumque ius canonicum ei esse applicandum. Ecclesia etiam illarum societatum, quibus non concedit recognitionem canonicam, optime novit existentiam agnovitque, nonnumquam eas etiam laudando vel commendando (cf. can. 684), semper iura sua inalienabilia etiam erga illas vindicando.

Principium in causis piis catholicos sive sin-

gulos sive associatos subesse iurisdictioni ecclesiasticae omnino validum est, dummodo recte intelligatur. Semper et a priori verum est hoc sensu, quod quotiescumque bonum commune ecclesiasticum exigerit ut auctoritas ecclesiastica de causis piis legiferat, haec ius habet ad interveniendum. Ita omnes causae piae saltem potentialiter subsunt iurisdictioni Ecclesiae. Quousque vero Ecclesia hanc iurisdictionem actu exerceri, quousque fidelibus vel etiam iuri civili rem relinqui desiderat, a posteriori tantum innotescit, ex iure scilicet positivo ab Ecclesia constituto. Praeterea non hoc sensu verum est principium illud quod Ecclesia omnia iura de causis piis disponendi suae attribuit iurisdictioni; ius ad causas pias promovendas non ab ecclesiastica iurisdictione sed divinitus catholici possident, itemque facultatem hoc iure libere utendi sive singuli sive etiam associati. Fundamentum vel cardo totius legislationis canonicae de causis piis est praecise tutela liberae voluntatis catholicorum ad ea pia fovenda opera quae ipsi, non quae praesules, aliis praetulerint.

Quod associationes civiles catholicorum attinet, etsi non teneantur canonibus qui associationes ecclesiasticas spectant, obstringuntur tamen iis omnibus legibus ecclesiasticis quibus catholici singuli tenentur, in quantum associationes, ex natura rei, capaces sunt has leges servare. In ceteris omnibus eadem qua singuli catholici gaudent libertate.

Proinde liberum est catholicis associationem ad pias causas quas praetulerint fovendas inire

et associatio potest ad eas causas bona sua erogare. Haec libera destinatio aeque obtinet in casu quo socii associationem dissolvere voluerint. (cf. can. 1513 § 1).

Associatio civilis tam clericorum quam laicorum sine Sedis Apostolicae aut proprii Ordinarii et Ordinarii loci licentia, in scriptis data, stipem cogere pro quolibet pio aut ecclesiastico instituto vel fine vetatur. (cf. can. 1503).

Quoties assocationes munere executorum piarum voluntatum funguntur, subsunt iuri vigilantiae ac visitationis Ordinarii, cui perfunctae munere rationem reddere tenentur. Ordinarius est ille cuius iurisdictioni subest causa pia, verbi gratia si haec fuerit seminarium vicariatus apostolici, erit huius Vicarius apostolicus; vel, si causa pia in individuo determinata non fuerit, ut donatio missionibus in genere facta, Ordinarius loci ubi associatio executrix sedem habet. (can. 1515 § 2).

Analogae valent regulae si associatio bona vel pecunias recipit non in libera proprietate, sed fiduciarie, cum onere scilicet ea tradendi causis piis ab oblatore designatis.

Quaestioni quandonam associatio seu personae quae eius nomine agunt executores piarum voluntatum sunt, sic respondendum videtur:

a) quod bona vel pecunias ab ipsis sociis collatas ac a directione iuxta statuta piis finibus erogandas associatio non est piarum voluntatuum executor, sed auctor;

quoad bona vel pecunias a tertiis oblatas distinguendum est:

b) si tertii ipsi associationi subvenire in-

tendunt, haec non est piae voluntatis executor, sed ipsa causa pia;

c) si tertii finibus piis sive iisdem quas associatio fovet sive aliis prodesse intendunt, haec est executor piarum voluntatuum vel bona fiduciarie accipit.

Differentia praecipua habetur in eo, quod de bonis sub *a*) et *b*) indicatis associatio libere disponere potest etiam ad expensas propriae administrationis et similes solvendas, bonis sub *c*) indicatis tantum uti potest ad fines a tertiis determinatos.

* * *

Ex dictis ultro sequi videtur solutio casus associationis nostrae. Cum statuta iudicium tum de societate dissolvenda tum de bonis quae supersunt disponendis directioni supremae reservent, haec sola ad ea facienda gaudet capacitate. In quantum directio egerit executionem piarum voluntatuum vel fiduciam, respectivis Ordinariis rationem muneris peracti reddere tenebitur.

Petrus Huizing, S. I.

MONUMENTA

8 - SS. D. N. Pius Pp. XII

(*AAS.* XXXXVIII [27 Oct. 1956] p. 711)

ALLOCUTIO

Emis PP. DD. Cardinalibus Excmis PP. DD. Archiepiscopis et Episcopis, ceterisque Antistitibus, Sacerdotibus ac Religiosis, qui Conventui internationali de Liturgia Pastorali, Assisii habito, interfuerunt *.

Vous Nous avez demandé de vous adresser la parole pour clôturer le Congrès International de Liturgie Pastorale, qui vient de se tenir à Assise. C'est de tout cœur que Nous répondons à votre demande et que Nous vous souhaitons la bienvenue.

Si l'on compare la situation actuelle du mouvement liturgique avec ce qu'il était, il a trente ans, on constate qu'il a accompli un progrès indéniable tant en extension qu'en profondeur. L'intérêt porté à la liturgie, les réalisations pratiques et la participation active des fidèles ont pris un

---

* Habita Romae die 22 Septembris mensis a. 1956.

developpement qu'il eût été difficile de pressentir à ce moment. L'impulsion principale, tant en matière doctrinale que dans les applications pratiques, vint de la Hiérarchie et, en particulier, de Notre saint Prédécesseur Pie X, qui par son *Motu Proprio* « *Abhinc duos annos* » du 23 octobre 1913 [1] donna au mouvement liturgique un élan décisif. Le peuple croyant accueillit ces directives avec reconnaissance et se montra prêt à y répondre; les liturgistes se mirent à l'œuvre avec zèle, et bientôt s'épanouirent des initiatives intéressantes et fécondes, même si parfois certaines déviations appelèrent un redressement de la part de l'Autorité ecclésiastique. Parmi les nombreux Documents publiés récemment à ce sujet, qu'il Nous suffise d'en mentionner trois: l'Encyclique « *Mediator Dei* » *De sacra liturgia* du 20 Novembre 1947 [2], le dispositif nouveau de la Semaine Sainte, en date du 16 Novembre 1953 [3], qui a aidé les fidèles à mieux comprendre et à participer davantage à l'amour, aux souffrances et à la glorification de Notre Seigneur, et finalement l'Encyclique *De musica sacra* du 25 Décembre 1955 [4]. Le mouvement liturgique est apparu ainsi comme un signe des dispositions providentielles de Dieu sur le temps présent, comme un passage du Saint-Esprit dans son Eglise, pour rapprocher davantage les hommes des mystères de la foi et des richesses

---

[1] *Acta Ap. Sedis*, a. 5, 1913, pag. 449-451.
[2] *Acta Ap. Sedis*, a. 39, 1947, pag. 522-595.
[3] *Acta Ap. Sedis*, a. 47, 1955, pag. 838-847.
[4] *Acta Ap. Sedis*, a. 48, 1956, pag. 5-25.

de la grâce, qui découlent de la participation active des fidèles à la vie liturgique .

Le Congrès, qui se termine actuellement, avait précisément pour but de montrer l'inappréciable valeur de la liturgie pour la sanctification des âmes et donc pour l'action pastorale de l'Eglise. Vous avez étudié cet aspect de la liturgie, tel qu'il se manifeste dans l'histoire et continue actuellement à se déployer; vous avez examiné aussi comment il est fondé sur la nature des choses, c'est-à-dire comment il découle des éléments constitutifs de la liturgie. Votre Congrès comportait donc une étude du développement historique, des réflexions sur la situation actuelle et un examen des objectifs à atteindre dans l'avenir et des moyens propres à y conduire. Après avoir considéré attentivement votre programme de travail, Nous formulons des vœux pour cette nouvelle semense, ajoutée à celles du passé, produise de riches moissons au profit des individus et de toute l'Eglise.

Dans cette Allocution, au lieu de vous présenter des normes plus détaillées, sur lesquelles le Saint-Siège s'est déjà suffisamment prononcé, Nous avons jugé plus utile d'aborder quelques points importants que l'on discute actuellement en matière liturgique-dogmatique et qui Nous tiennent plus à cœur. Nous grouperons ces considérations sous deux titres, qui seront de simples indications plutôt que les thèmes mêmes de Nos développements : la Liturgie et l'Eglise, la Liturgie et le Seigneur.

I — La Liturgie et l'Eglise

Comme Nous l'avons dit dans l'Encyclique « *Mediator Dei* », la liturgie constitue une fonction vitale de toute l'Eglise, et non seulement d'un groupe ou d'un mouvement déterminé. « Sacra Liturgia integrum constituit publicum cultum mystici Iesu Christi Corporis, capitis nempe membrorumque eius » [5]. Le Corps Mystique du Seigneur vit de la vérité du Christ et des grâces qui se répandent dans les membres, les animent et les unissent entre eux et avec leur Chef. Telle est l'idée de Saint Paul, quand il dit dans sa première Epître aux Corinthiens: « *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei* » [6]. Tout est donc dirigé vers Dieu, son service et sa gloire. L'Eglise, remplie des dons et de la vie de Dieu, se livre d'un mouvement intime et spontané à l'adoration et à la louange du Dieu infini et, par la liturgie, lui rend comme société le culte qu'elle lui doit.

A cette liturgie unique, chacun des membres, ceux qui sont revêtus du pouvoir hiérarchique comme la foule des fidèles, apporte tout ce qu'il a reçu de Dieu, toutes les ressources de son esprit, de son cœur, et de ses œuvres. La Hiérarchie d'abord, qui détient le « *depositum fidei* » et le « *depositum gratiae* ». Au « *depositum fidei* », à la vérité du Christ contenue dans l'Ecriture et la Tradition, elle puise les grands mystères de la foi et

---

5 *Acta Ap. Sedis, a.* 39, 1947, pag. 528-529.

6 *1 Cor.* 3, 23.

les fait passer dans la liturgie, en particulier ceux de la Trinité, de l'Incarnation et de la Rédemption. Mais on trouverait difficilement une vérité de foi chrétienne, qui ne soit exprimée en quelque manière dans la liturgie, qu'il s'agisse des lectures de l'Ancien et du Nouveau Testament, pendant la Sainte Messe et dans l'Office divin, ou des richesses, que l'esprit et le cœur découvrent dans les Psaumes. Les cérémonies liturgiques solennelles sont d'ailleurs une profession de foi en acte; elles réalisent les grandes vérités de la foi sur les desseins impénétrables de la générosité de Dieu et ses faveurs inépuisables à l'égard des hommes, sur l'amour et la miséricorde du Père céleste envers le monde, pour le salut duquel il envoya son Fils et le livra à la mort. C'est ainsi que l'Eglise communique en abondance dans la liturgie les trésors du « *depositum fidei* », de la vérité du Christ. — Par la liturgie aussi se répandent les trésors du « *depositum gratiae* », que le Seigneur a transmis à ses Apôtres: la grâce sanctifiante, les vertus, les dons, le pouvoir de baptiser, de conférer le Saint-Esprit, de remettre les péchés par la pénitence, de consacrer des prêtres. C'est au cœur de la liturgie que se déroule la célébration de l'Eucharistie, sacrifice et repas; c'est en elle aussi que se confèrent tous les sacrements et que, par les sacramentaux, l'Eglise multiplie largement les bienfaits de la grâce dans les circonstances les plus diverses. La Hiérarchie étend encore sa sollicitude à tout ce qui contribue à rendre plus belles et plus dignes les cérémonies liturgiques, qu'il s'agisse des lieux de culte, du mobilier,

des vêtements liturgiques, de la musique sacrée ou de l'art sacré.

Si la Hiérarchie communique par la liturgie la vérité et la grâce du Christ, les fidèles de leur côté ont pour tâche de les recevoir, d'y consentir de toute leur âme, de les transformer en valeurs de vie. Tout ce qui leur est offert, les grâces du sacrifice de l'autel, des sacrements et des sacramentaux, ils les acceptent, non d'une manière passive, en les laissant simplement s'écouler en eux, mais en y collaborant de toute leur volonté et de toutes leurs forces, et surtout en participant aux offices liturgiques ou du moins en suivant leur déroulement avec ferveur. Ils ont contribué dans une large mesure et continuent à contribuer par un effort constant à accroître l'apparat extérieur du culte, à construire des églises et des chapelles, à les décorer, à rehausser la beauté des cérémonies liturgiques par toutes les splendeurs de l'art sacré.

La contribution que la Hiérarchie et celle que les fidèles apportent à la liturgie ne s'additionnent pas comme deux quantités séparées, mais représentent la collaboration des membres d'un même organisme, qui agit comme un seul être vivant. Les pasteurs et le troupeau, l'Eglise enseignante et l'Eglise enseignée ne forment qu'un seul et unique corps du Christ. Aussi n'y a-t-il aucune raison d'entretenir de la méfiance, des rivalités, des oppositions ouvertes ou latentes, soit dans les pensées, soit dans la façon de parler ou d'agir. Entre les membres d'un même corps, doivent régner avant tout la concorde, l'union, la collaboration. C'est dans cette unité que l'Eglise prie,

offre, se sanctifie, et l'on peut donc affirmer à bon droit que la liturgie est l'œuvre de l'*Eglise tout entière.*

Mais Nous devons ajouter: la liturgie n'est cependant pas *toute l'Eglise;* elle n'épuise pas le champ de ses activités. Déjà, à côté du culte public, celui de la communauté, il y a place pour le culte privé, que l'individu rend à Dieu dans le secret de son cœur ou exprime par des actes extérieurs, et qui possède autant de variantes qu'il y a de chrétiens, bien qu'il procède de la même foi et de la même grâce du Christ. Cette forme du culte, non seulement l'Eglise la tolère, mais Elle la reconnaît pleinement et la recommande, sans toutefois rien enlever à la prééminence du culte liturgique.

Mais lorsque Nous disons que la liturgie n'épuise pas le champ des activités de l'Eglise, Nous pensons surtout à ses tâches d'enseignement et de pastorale, au « *Pascite qui in vobis est gregem Dei* » [7]. Nous avons rappelé le rôle que le Magistère dépositaire de la vérité du Christ exerce par la liturgie; l'influence du pouvoir de gouvernement sur elle est aussi évident, puisqu'il appartient aux Papes de reconnaître les rites en vigueur, d'en introduire de nouveaux et de régler l'ordonnance du culte, et aux Evêques de veiller avec soin à ce qu'on observe les prescriptions canoniques concernant le culte divin [8]. Mais les fonctions d'enseignement et de gouvernement s'ètendent en-

---

7 *1 Petr.* 5, 2.

8 *Acta Ap. Sedis,* a. 39, 1947, pag. 544.

core bien au delà. Il suffit pour s'en rendre compte de jeter un coup d'œil sur le Droit Canon et ce qu'il dit du Pape, des Congrégations romaines, des Evêques, des Conciles, du Magistère et de la discipline ecclésiastiques. On arrive à la même conclusion en observant la vie de l'Eglise, et, dans Nos deux Allocutions du 31 mai et du 2 novembre 1954 sur la triple fonction de l'Evêque, Nous avons expressément insisté sur l'étendue de ses charges, qui ne se limitent pas à l'enseignement et au gouvernement, mais comprennent aussi tout le reste de l'activité humaine dans la mesure où des intérêts religieux et moraux sont en jeu [9].

Si donc les tâches et les intérêts de l'Eglise sont à ce point universels, les prêtres et les fidèles se garderont dans leur façon de penser et d'agir de tomber dans l'étroitesse de vue ou l'incompréhension. Notre Encyclique « *Mediator Dei* » avait déjà redressé certaines affirmations erronées, qui tendaient soit à orienter l'enseignement religieux et la pastorale dans un sens exclusivement liturgique, soit à susciter des entraves au mouvement liturgique qu'on ne comprenait pas. En fait, il n'existe aucune divergence objective entre le but poursuivi par la liturgie et celui des autres fonctions de l'Eglise; quant à la diversité des opinions, elle est réelle, mais toutefois ne présente pas d'obstacles insurmontables. Ces considérations suffiront à montrer, Nous l'espérons, que la liturgie est l'œuvre de toute l'Eglise, et que tous les fidèles comme membres du Corps Mystique doivent

---

[9] *Acta Ap. Sedis,* a. 46, 1954, pag. 313-317; 666-677.

l'aimer, et y prendre part, en comprenant toutefois que les tâches de l'Eglise s'étendent bien au delà.

II — La Liturgie et le Seigneur

Nous voudrions maintenant considérer spécialement la liturgie de la Messe et le Seigneur qui en est à la fois le prêtre et l'offrande. Comme des imprécisions et des incompréhensions se font jour ça et là à propos de points particuliers, Nous dirons un mot de l'« *actio Christi* », de la « *praesentia Christi* » et de l'« *infinita et divina maiestas Christi* ».

1. « *Actio Christi* »

La liturgie de la Messe a comme but d'exprimer sensiblement la grandeur du mystère qui s'y accomplit, et les efforts actuels tendent à y faire participer les fidèles d'une manière aussi active et intelligente que possible. Bien que cet objectif soit justifié, on risque de provoquer une baisse du respect, si l'on détourne l'attention de l'action principale, pour la diriger vers l'éclat d'autres cérémonies.

Quelle est cette action principale du sacrifice eucharistique? Nous en avons parlé explicitement dans l'Allocution du 2 novembre 1954 [10]. Nous y citions d'abord l'enseignement du Concile de Trente: « *In divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur et incruente*

---

[10] *Acta Ap. Sedis,* a. 46, 1954, pag. 668-670.

immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruente obtulit ... Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa »[11]. Et Nous poursuivions en ces termes: « *Itaque sacerdos celebrans, personam Christi gerens, sacrificat, isque solus, non populus, non clerici, ne sacerdotes quidem, pie religioseque qui sacris operanti inserviunt; quamvis hi omnes in sacrificio activas quasdam partes habere possint et habeant* »[12]. Nous soulignions ensuite que, faute de distinguer entre la question de la participation du célébrant aux fruits du sacrifice de la Messe et celle de la nature de l'action qu'il pose, on était arrivé à la conclusion: « *Idem esse unius Missae celebrationem, cui centum sacerdotes religioso cum obsequio adstent atque centum Missas a centum sacerdotibus celebratas* ». De cette affirmation, Nous disions: « *Tamquam opinionis error reici debet* ». Et Nous ajoutions en guise d'explication: « *Quoad sacrifici Eucharistici oblationem tot sunt actiones Christi Summi Sacerdotis, quot sunt sacerdotes celebrantes, minime vero quot sunt sacerdotes Missam episcopi aut sacri presbyteri celebrantis pie audientes; hi enim, cum sacro intersunt, nequaquam Christi sacrificantis personam sustinent et agunt, sed comparandi sunt christifidelibus laicis, qui sacrificio adsunt* »[13]. Au sujet des congrès liturgiques, Nous avons dit en cette même occasion: « *Hi cœtus interdum propriam*

---

[11] *Conc. Trid.*, Sessio XXII, cap. 2.

[12] *Acta Ap. Sedis, l. c.* pag. 668.

[13] *Acta Ap. Sedis, l. c.* pag. 669.

